Hungary

15. sz.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

ELSŐ OSZTÁLY: OKMÁNYTÁRAK.

NYOLCZADIK KÖTET.

PEST, 1862

EGGENBERGER FERDINÁND MAGYAR AKADEMIAI KÖNYVÁRUSNÁL.

MONUMENTA
HUNGARIAE HISTORICA.

DIPLOMATARIA.

VIII.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

ELSŐ OSZTÁLY.

8.

NYOLCZADIK KÖTET.

PEST, 1862.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

CODEX DIPLOM. ARPADIANUS CONTINUATUS.

ÁRPÁDKORI ÚJ OKMÁNYTÁR.

A M. TUD. AKADEMIA TÖRT. BIZOTTMÁNYA

MEGBIZÁSÁBÓL KÖZZÉ TESZI

WENZEL GUSZTÁV,

M. AKAD. RENDES TAG.

vol. III

HARMADIK KÖTET.

1261—1272.

PEST, 1862.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFER RÁHT PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

Pest, 1862 Emich Gusztáv magy. Akad. nyomdász.

TARTALOM.

1261—körül.

1265. körül.

1265.

Lap

ÁRPÁDKORI
ÚJ
OKMÁNYTÁR.
III.

1.

IV. Béla király Liupoldot, Truslef testvérét, Semptey vármegye föispányának kinevezi. 1261 körül.

Nos B(ela) Dei gracia Rex Hungarie commendantes memorie uniuersis significamus, quod sicut fideli nostro Trusleph Comitatum de Semptey contuleramus, sic eciam post mortem eiusdem Trusleph aduertendo fidelitatem suam et eciam seruicia fidelia, quę frater suus Lyuppoldus vna cum fratre suo Petro nostre Maiestati exhibuerant indefesse, dictum Comitatum cum omnibus appendiciis et vtilitatibus eiusdem ipsi Lyuppoldo Comiti de nostro beneplacito duximus conferendum. Isto tamen interiecto, ut licet ipse castrum seu ad ipsum pertinencia fratribus seu cognatis suis possit relinquere, vendendi tamen seu alienandi non habeat potestatem; ipse tamen et ipsius heredes seu eciam successores nobis et nostris heredibus, sicut ceteri Regni nostri nobiles debita fidelitate exhibere seruicia teneantur. Concessimus eciam, ut populos sub castro seu in aliis villis ad ipsum pertinentibus, in causa furti, decimarum et monete nullus Judicum Regni, et in omnibus alijs causis debeat judicare; sed nec Comes Posoniensis, nec et Nitriensis, nisi sua persona tantum. Qui si in facienda justicia negligens esset aut remissus, non populi sui, sed ipse in nostra presencia, vel cui illud specialiter iniunxerimus, tenebitur conueniri. Vnde omnibus judicibus precipimus, et specialiter Posoniensi et Nitriensi Comitibus, ut ipsum et ad eum pertinentes homines seu populos non possint nec debeant judicare. Quas libertates ei ex nostra gracia concessas, sibi seruari tam in judiciis quam

in omnibus aliis premissis volumus illibatas. Datum Bude in Assumpcione Sancte Marie.

(IV. László király 1279-ki átiratából.)

2.

IV. Béla király elintézi a pannonhalmi apátság és a székesfehérvári káptalan közti, a káptalannak Somogy megyében fekvő jószágainak tizedére vonatkozó egyenetlenségeket. 1261 körül.

Bela Dei gracia Rex Ungarie vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in Domino Cum pacem, quantum in nobis est, cum omnibus habere debeamus et tenere; precipue tamen debemus intendere, vt intra Regni nostri terminos pax et concordia conseruetur et iurgiorum materia sopiatur. Cum igitur inter Albensem Ecclesiam et Monasterium Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie super decimis in Comitatu Simigiensi prouenientibus, quas Abbas in prediis et villis Ecclesie et Canonicorum Albensium vendicabat, et Albensis Ecclesia se ab onere decimarum immunem diceret, dudum fuisset exorta contencio; fuit in arbitros super eodem facto pluries compromissum, per quorum sentenciam lis non potuit definiri, quia eorum sentencie fuit ab altera parcium, que se grauari senciebat, contradictum; et demum negocium ad Sedem Apostolicam est deductum, vbi lite diucius perdurante, tandem causa in Ungariam est remissa, vt amicabilis composicio, si posset, fieret, que utrique parti complaceret. Quia vero vtriusque Ecclesie patronatus ad nos pertinere dinoscitur, eorum laboribus et expensis parcere cupientes, mediatores extitimus pacis et concordie inter eos reformande et composicionis faciende; et tandem Diuino auxilio de communi consilio et assensu Capituli Albensis Ecclesie et Decani, cui ex speciali commissione Sedis Apostolice generalis admini-

stracio Albensis Ecclesie tam in spiritualibus quam in temporalibus est concessa; de assensu eciam Abbatis et Conuentus Sancti Martini composuimus inter eos in hunc modum: Quod cum Albenses Canonici a suis populis non exigant, ad exportanda vina vel alias res decimales sigillum eorum dari non debeat, sed ad ea exportanda sigillum Abbatis Sancti Martini populis Albensis Ecclesie concedatur ad sua vina propria exportanda, fide tamen eorundem recepta, quod vinum alienum vel alias res decimales suo nomine non exportent. Preterea, quod Canonici vel populi seu serui eorum non recipiant segetes vel vina aliorum in horreis suis vel cellariis Abbati decimas debencium, ne sub eorum occasione decime Abbati ab aliis debite occultentur. Item quod omnes clerici Albensis Ecclesie, qualiscunque condicionis sint, exceptis ijs, qui sedent in terris ipsorum Albensium non decimalibus, decimales fiant. Item omnes possessiones Albensis Ecclesie in Comitatu Simigiensi constitute, quas post tempus arbitrij a venerabilibus patribus Roberto tunc Vesprimiensi, Gregorio Jauriensi, Jacobo Nitriensi Episcopis prolati acquisiuit, decimales fiant propter possessiones, quas Cosmas Episcopus in eodem Comitatu eis dedit. Nos eciam eidem Monasterio, vt Albensem Ecclesiam ab ipsius impeticione possemus liberare, concessimus vicesimam decimarum nobis in Comitatu Simigiensi prouenientem; Capitulum vero Albensis Ecclesie vnanimiter et concorditer capellam de villa Bagat ad se libere pertinentem, et ipsam villam Bagat cum aliis tribus villis, foro et omnibus ad eandem villam Bagat pertinentibus Monasterio Sancti Martini contulerunt eo iure possidendam, quo ab antiquo ipsi possederunt. Huic autem composicioni Abbas et Conuentus Sancti Martini consenserunt, ac omni liti, iuri et accioni, que in hoc facto habebant vel habere videbantur, cesserunt et renunciarunt tam ipsi quam Albense Capitulum vnanimiter promittentes, se nunquam contra hanc formam composicionis processuros. Si que vero parcium contra id temere veniret, trecentas marcas argenti parti hanc composicionem obseruanti soluere teneretur. Datum in Zolun tercio Idus Iunij.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

3.

István ifjabb király Echy grófnak földet adományoz Sóvár környékén. 1261.

Stephanus Dei gracia Rex, primogenitus Illustris Regis Hungarie, Dux Transiluanus omnibus presens scriptum cernentibus salutem in eo, qui Regibus dat salutem. Circumspeccio Regum prouida condignis premiis se obsequentibus sic debet occurrere, ut alii eorum exemplo prouocati ad fidelitatis et seruiciorum studia forcius accendantur. Hinc est igitur, ut ad vniuersorum presencium posterorumque noticiam harum serie volumus peruenire, quod nos attendentes fidelitatem Echy Comitis et seruicia ipsius, que nobis pro suo posse diligenter impendit, exhibendo nobis et nostris delicias gratanter et deuote; ad supplicacionem eiusdem, vt idem ad obsequendum nobis abilior promciorque habeatur; quamdam terram in districtu predii nostri de Soouar existentem, vbi ecclesia ad honorem Beatissimi Ladizlai Regis est constructa, super qua quidem auceps Myco nomine de permissione carissimi patris nostri B(ele) Illustris Regis Hungarie antea residebat, ipsi Echy Comiti et per eum suis heredibus heredumque successoribus de Regia liberalitate contulimus perpetuo possidendam. In cuius terre corporalem possessionem eundem per fidelem nostrum Tecus Comitem de Sarus fecimus introduci. Cuius terre mete, prout ab eodem Tecus Comite percepimus, hoc ordine distinguuntur. Prima meta incipit in fluuio Taarcha ab oriente in ponte; et ibi exit in Scylospotoc, ibique eundo superius peruenit ad puteum Burcut; deinde in eadem valle per sinistrum eundo ascendit ad *berch*, vbi sunt tres arbores de *bikfa* cruce signate a parte meridionali; inde descendit in vallem Ereuspotoc; deinde vadit superius ad viam, que ducit ad duas metas antiquas ad partem aquilonis; abhinc reflectit se iuxta siluam in *berch*, venit in orientem vsque ad caput Toplo; et per riuulum Toplo descen-

dens per magnam vallem cadit ad fluuium Taarcha; et per eandem aquam descendens peruenit ad locum, vbi est portus subtus molendinum Michaelis; et ibi exit ad partem orientalem ad vnam viam, que vadit paululum per fenetum; et ibidem intrat Malacam, per quam itur ad fluuium Scukcha; et fluuius ille iterum cadit in Taarcha, et per Taarcham descendit inferius vsque ad predictum pontem, vbi prima meta fuit incepta, ibique terminatur. Ac vt huiusmodi nostra donacio robur obtineat perpetue firmitatis, presentes nostras litteras eidem contulimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Benedicti Prepositi Scibiniensis, aule nostre Vice-Cancellarii, anno Domini MCCLX primo.

(Eredetie Eperjes szab. kir. város levéltárákan.)

4.

István ifjabb király megerősiti a deesi polgárok kiváltságait. 1261.

Stephanus Dei gracia Rex, primogenitus Illustris Regis Hungarie, Dux Transilvanus. Ad Regiam pertinet Maiestatem precibus condescendere subditorum, ut numerus fidelium augeatur, et Regalis potencia lacius extendatur, cum Regis proprium sit, in multitudine populi gloriari. Hinc est, quod universorum presencium posterorumque noticie volumus fieri manifestum, quod accedentes ad nostram presenciam hospites de Desvar litteras Erney Bani quondam Transilvanie, super libertate eorundem obtentas nobis exhibuerunt, petentes a nobis suppliciter et deuote, ut ipsam libertatem eisdem nostro priuilegio dignaremur confirmare. Nos siquidem peticionibus eorundem inclinati, et ordinacionem Erney Bani dicti, dilecti et fidelis nostri inuiolabiliter uolentes observari, duximus annuendum; sed quia series ipsarum literarum erat inutilis, de verbo ad verbum scribi non fecimus; sed senten-

ciam ejusdem duximus inserendam. Quarum quidem sentencia talis est, quod iidem hospites a iurisdiccione Comitum de Zonuk, Curalium Comitum et jobagionum eiusdem castri penitus sint exemti ita, quod ipsos omnino non possint iudicare, sed iudicet eosdem villicus ipsorum, pro tempore constitutus, in causis omnibns inter ipsos exortis, causas autem, quas commode non posset terminare, nostro relinquat judicio decidendas. Similiter eciam causas extraneorum, si ibidem aliquas contingat habere, idem villicus valeat iudicare et non alius. Item iuxta libertatem de Zoloch et Zathmar ad exercitum nostrum uenire, et nobiscum exercituare teneantur. Ut autem hec ipsorum libertas salua semper permaneat et inconcussa, nec imposterum per quempiam ualeat uiolari, presentes nostras eisdem concessimus duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Prepositi Scibiniensis, aule nostre Vice-Cancellarii, anno Dominice Incarnacionis MCCLX primo.

(Teutsch és Firnhaber Urkundenbuch zur Geschichichte Siebenbürgens. I. k. 72. l.)

5.

IV. Orbán pápa a pannonhalmi apátság és a chorgói jánosrendiek közt a somogymegyei tizedek tekintetében intézkedik. 1261.

Urbanus Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio... Cantori Ecclesie Jauriensis salutem et Apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum... Abbatis et Conuentus Monasterii Sancti Martini supra Pannoniam ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis Sancti Benedicti recepimus continentem, quod Preceptor et fratres Hospitalarii Ierosolymitani de Chirgo Vesprimiensis Diocesis super quibusdam decimis et aliis rebus fidem non seruarint eisdem. Ideoque discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus acceptis ad latus tuum etiam aliis viris, causam inter partes easdem debito fine decidas, faciens quod decreueris per censuram Ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint causa in prescripta, appellatione cessante compellos veritati testimonium adhibere. Datum Viterbij nono kalendas Octobris Pontificatus nostri anno primo.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

6.

IV. Orbán pápa a pannonhalmi apátság s a veszprémi püspök és káptalan közti egyenetlenségek tekintetében intézkedik. 1261.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri ... Episcopo Waciensi, et dilectis filiis ... Preposito Sancti Thome Strigoniensis et... Cantori Iaurinensis Ecclesiarum salutem et Apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum Abbatis et Conuentus Monasterii Sancti Martini supra Pannoniam ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis Sancti Benedicti recepimus continentem, quod venerabilis frater noster ... Episcopus et Capitulum Vesprimiense super quibusdam decimis et rebus aliis iniuriantur eisdem. Ideoque discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinus partibus conuocatis audiatis eam, et apellatione remota fine debito decidatis facientes quod decreueritis auctoritate nostra firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint causa in prescripta, appellatione cessante compellas veritati testimonium adhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominos exequantur. Datum Viterbii III. mensis Octobris Pontificatus nostri anno primo.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

7.

IV. Orbán pápa a pannonhalmi apátság és a székes-fehérvári káptalan közti egyenetlenségek tekintetében intézkedik. 1261.

Urbanus Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio... Cantori Ecclesie Iauriensis. Querelam dilectorum filiorum Abbatis et Conuentus Monasterii Sancti Martini supra Pannoniam ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis Sancti Benedicti recepimus continentem, quod Prepositus et Capitulum Ecclesie Albensis Wesprimiensis Diocesis super quibusdam decimis et rebus aliis iniuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis audias eam et appellatione remota debito fine decidatis faciens quod decreueris per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellacione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Viterbii III. nonas Octobris Pontificatus nostri anno primo.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

8.

A passaui, olmüczi és prágai püspökök kötlevele, miszerivt Otakar cseh királyt, ha a IV. Béla magyar királylyal kötött békességet meg uem tartandaná, kiközösiteui fogják. 1361.

Nos O. Pataviensis, B. Olomucensis et Pragensis Dei gracia Ecclesiarum Episcopi, omnibus presencium inspectoribus declaramus; nos promisisse et promittere bona fide, quod dominúm nostrum, Dominum Regni Boemie, Ducem Austrie et Styrie, Marchionem Moravie ad observandum omnia illa et singula, que in instrumentis, inter dominum nostrum antedictum et dominum Regem Vngarie et Reginam ac ipsorum filios, mediantibus religioso viro fratre Ludovico de domo Teutonica, Commendatore domorum per Boemiam, et nobilibus viris Jacobo Pragensi Purcrauio, et Wokkone Marscalco Regni Boemie confectis continentur, omni diligencia inducemus. Si vero composicionem predictam per dominum nostrum vel suos contigerit uiolari, et idem dominus noster requisitus non emendaret infra IIII-tuor mensium spacium extunc ipsum denunciabimus excommunicacionis vinculo innodatum, quilibet nostrum in Dyocesi sua, terras eius ecclesiastico subiicientes interdicto. Et ad hoc faciendum quilibet nostrum iurauimus, et per virtutem prestiti sacramenti nos obligauimus, et obligamus presencium testimonio literarum, quibvs sigilla nostra duximus appendenda. Et vt premissa omnia suum sorciantur effectum, memoratus Regni Boemie Dominus, Dux Austrye, et Styrie, Marchioque Morauie, se et terras suas nostre iurisdictioni subiecit, renunciando priuilegiis omnibus pro sua persona vel terris suis omnibus a Sede Apostolica indultis, impetratis et impetrandis, super eo videlicet, quod persona ipsius excommunicari, vel terre sue interdici non possent absque Sedis

Apostolice mandato, vel eius nuncio speciali. Datum Wienne anno Domini MCCLXI. pridie kal. Aprilis.

(A Monumentorum Boicorum Collectio nova, XXIX. kötete 2-ik része 174. l. után. *Csech.*)

9.

Otto passaui püspöknck ugyanerről kiadott másik kötlevele. 1261.

Otto Dei gracia Ecclesie Pataniensis Episcopus vniuersis Christi fidelibus hanc literam inspecturis salutem in Domino. Quia pacis tranquillitas et bonum concordie piis amplectenda sunt affectibus et sinceris; nos, qui pacis et concordie debemus esse modis omnibus sectatores, ad peticionem et instanciam Serenissimi domini O. Regis Bohemie, Ducis Austrie et Styrie, Marchionis Morauie, iurati promittimus bona fide, quod ipsum per nostram Dyocesin excommunicabimus et terram ipsius Austriam ecclesiastico supponemus interdicto, si idem, quod absit, formam concordie inter ipsum et dominum Regem Hungarie ordinatam, iuxta quod in instrumentis ipsorum exinde confectis continetur, excesserit et attemptauerit violare. In cuius rei testimonium presentes literas nostro sigillo fecimus conmuniri. Datum Patauie anno Domini millesimo CCLXI., VII. Idus Aprilis.

(Ugyanonnan XXIY. köt. 2-ik r. 175. l. *Csech.*)

10.

A székes-fehérvári káptalan bizonyitja, hogy a Rad nemzetség néhány tagjai Tord nevü birtokukat a pannonhalmi apátságra átruházták. 1261.

Capitulum Albensis Ecclesie vniuersis Christi fidelibus presencium inspectoribus salutem in Domino sempiternam. Etsi humanam pietatem salutis desiderio, terroreque extremi iudicii prouocante omnes Ecclesias possessionibus ditare tenerentur vniuersi, illis potissimum elemosinarum largitate adesse debet vnusquisque, ad quos et donacio progenitorum, et recepcio devocionem auget ampliorem commodi temporalis. Ea siquidem consideracione Raad filius Emerici, Cornel filius Luca, et Corlat filius eiusdem de genere Raad coram nobis personaliter constituti proposuerunt, quod cum progenitores ipsorum in perpetuam elemosinam monasterio Beati Martini de Sacro Monte Pannonie excipiendo de quadam possessione sua Tord nuncupata quandum particulam contulissent, et postmodum ipsi Raad, Cornel et Corlat in spiritualibus et eciam temporalibus subsidium eiusdem monasterii suis in necessitatibus senserint vt patroni, adeo vt imminente quodam debito, Abbas et fratres eiusdem monasterij de pecunia monasterij dicto Raad viginti marcas, Cornelio vero et filio suo predictis sedecim marcas familiariter obtulerint, et in aliis plerisque eis beneficia innumera prestiterint; volentes pro receptis commodis ab ipso monasterio et vtilitatibus, et adhuc in futurum recipiendis merito remuneracionis brauio propensius respondere, totam predictam possessionem Tord metis circumquaque per ambitum uallatam, nihil iuris seu porcionis sibi reseruantes, cum omnibus vtilitatibus suis et pertinenciis, siluis videlicet, terris, fenetis, sitibus curiarum, piscinis et aliis eo omni iure, et sub eisdem metis, quibus ipsi et progenitores ipsorum pacifice possederunt et quiete, partim, vt diximus, pro summa pe-

cunie pretaxata, partim vero pro remedio anime sue et suorum progenitorum contulerunt et donauerunt monasterio Sancti Martini antedicto in perpetuum possidendam. Et ne processu temporis alicui cognatorum predictorum nobilium liceat predictam donacionem et collacionem aliqua occasione pretensa reuocare, sed vt hereditas et dotalicium sepius dicti monasterii permaneat inuiolabili firmitate roborata, ijdem nobiles a nobis instanter pecierunt ipsam donacionem nostro priuilegio confirmari. Quorum nos peticionem iustam et legitimam esse attendentes, in hac parte presentes concessimus litteras nostro sigillo communitas. Anno Domini M°CC° sexagesimo primo, tercio Nonas Frebvarii (így). Magistro Paulo Ecclesie nostre Electo aule Regie Vice-Cancellario, Gregorio Cantore, Feliciano Custode, Michaele Decano existentibus.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

11.

A somogyi sz. egyedi konvent bizonyságlevele, hogy Gergely pap Tord helységben lévő Buchmala nevű birtokát Favus pannonhalmi apátnak bevallotta. 1261.

Nos Conuentus Monasterii Sancti Egydii de Simigio vniuersis presentes litteras inspecturis significamus, quod Gregorius Sacerdos, quondam Vice-Archidiaconus Simigiensis constitutus coram nobis proposuit viua voce, quod quandam particulam terre nomine Buchmala empticiam de Rad filio Henrici de genere et de villa Rad in territorio ville Tord existentem cum omnibus pertinenciis, videlicet virgultis, fenetis, terris arabilibus et fundo curie seu aliis vtilitatibus suis, domino Fauo Abbati Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie pro quadam summa pecunie vendidisset in perpetuum possidendam, recepta eadem pecunia plenarie ab eodem, tali tamen interposita condicione, vt processu temporis nec ipse Gregorius Sacerdos, nec sui consanguinei ipsam particulam terre poterint impetere ab Abbate memorato. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem litteras nostras sigilli nostri munimine impressas concessimus. Datum anno gracie M°CC° sexagesimo primo.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

12.

A somogyi sz. egyedi konvent bizonyságlevele, hogy Chicholi Pál Chichol birtokának részét Favus pannonhalmi apátnak bevallotta. 1261.

Conuentus Monasterii Sancti Egydij de Simigio vniuersis presentes litteras inspecturis tam presentibus quam futuris salutem in eo, qui est salus omnium. Quoniam cuncta senescunt et omnia transeunt, expedit vt ea, que hic aguntur uiuaci litterarum testimonio confirmentur. Ad noticiam igitur vniuersorum serie presencium volumus peruenire, quod Paulus filius Benedicti de Chychol constitutus coram nobis proposuit viua voce, quod de terra sua hereditaria in eadem villa Chychol sexaginta iugera terrarum arabilium et septem iugera sedes curiarum, cum medietate nemoris, quod est super easdem sedes curiarum, que medietas numero uiginti quinque iugera continet, domino Fauo Abbati Monasterii Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie pro septem marcis argenti ponderati vendidisse perpetuo iure possidendam, et summam pecunie se habere confessus est. In cuius rei testimonium ad peticionem vtriusque partis litteras nostras sigilli nostri munimine roboratas concessimus anno Domini M°.CC°. sexagesimo primo- Datum pridie kalendas Septembris.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában)

13.

IV. Béla király János viadornak Zagor vár földéből Batyna nevű birtokot adományozza. 1262.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacię, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Ut collaciones Regum perpetuo perseuerent, litterarum solent testimonio communiri. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod pugil Johannes filius Johannis, ad nostram accedens presenciam, nostre Celsitudini instantissime supplicauit, vt terram castri Zaguria Batina vocatam, terre sue hereditarie contiguam, ad tria aratra sufficientem, de plenitudine nostre gracie sibi dare dignaremur. Nos igitur consideratis ipsius seruiciis inpensis et inpendendis, dictam terram Batyna dicto J(ohanni) et per eum suis heredibus duximus conferendam, et eundem J. in possessionem terre prefate corporalem per Magistrum Moys tunc Comitem de Symigio, dilectum fidelem nostrum fecimus introduci. Cuius quidem mete, prout in litteris Lamberi Comitis, officialis Magistri Moys, cui perscripcionem metarum dictus magister Moys commiserat vice sua, contineri vidimus, hoc ordine distinguuntur. Prima meta incipit ex meridionali parte iuxta magnam viam, vbi est meta terrea, in qua est arbor silicis, cui eciam hereditaria meta dicti Johannis ex parte Bokouch terre sue, et meta Nicolai filii Gregorii associatur; deinde in eadem via minimine procedendo versus occidentem ex sinistra parte dicte vie est meta terrea, in qua est arbor que *cul* nuncupatur; deinde descendit in vallem, et ibi in nasu (így) montis, qui Graduch nuncupatur, est meta lapidea; et de nasu montis ascendit minime, vbi est meta terrea, in qua est arbor ylicis juxta viam, ab altera parte vie secunda arbor est cruce signata, deinde de-

scendit in vallem ad quendam fluuium, qui Sarus Bur nominatur; deinde ascendit ad montem paruulum et directum, vbi est meta terrea, in qua est arbor quercus, et vadit in dorso cuiusdam montis versus septemtrionem per viam, et de eadem declinat ad monticulum et veniet (igy) in aliam viam iuxta vineam Johannis, vbi est meta terrea, in qua est pyrus; deinde descendit ad fluuium Bounam, et eum transeundo peruenit ad virgultum, venit ad metam terream; deinde per viam veniet ad alteram metam terream, vbi meta Nicolai terminatur; et ibidem iuxta eandem viam ex dextra parte est meta Martini filii Gurdina, et Cuzmicho; deinde veniet per laterem montis minime in virgulto versus meridiem ad hereditariam Johannis, que Dulga nuncupatur, peruenit ad primam metam, et ibi terminatur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes dedimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Pauli Electi Albensis, aule nostre Vice-Cancellarii dilecti fidelis nostri, anno ab Incarnacione Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, pridie kalendas Iulii, Regni autem nostri anno vigesimo VII°.

(Eredetie a Priberdi Jankovich család levéltárában. V. ö. Fejér Cod. Dipl VII. k. 3. r. 42. l.)

14.

IV. Béla király Szigligetért csere fejében a pannonhalmi apátságnak más birtokot enged által. 1262.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus tam presentibus quam futuris presentes litteras inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam volumus peruenire, quod cum insulam, que fuit Kaliani iuxta Balatinum, simul cum monte in eadem existente, aptam pro municione facienda, ipso Kaliano sine liberorum solacio decedente Ecclesie Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie sub eisdem metis et terminis, quibus idem Kalianus tenuerat, contulissemus; et venerabilis vir Fauus Abbas dicte Ecclesie, dilectus et fidelis, noster vtilitati Ecclesie inuigilans in predicto monte castrum bonum et vtile in magna summa pecunie construxisset; tandem postmodum placuit nobis predicto Abbati et Conuentui, vt ipsam insulam et castrum ad nos reciperemus pro concambio, sicque ad nos recipientes de voluntate Abbatis et Conuentus predictorum, ipsi Ecclesie Sancti Martini in commutacionem eiusdem villam et terram nostram de Bok existentem in Comitatu Zaladiensi sub eadem libertate et debito, sicut hospites in eadem existentes nobis tenebantur, prout in ipsorum priuilegio series libertatis ipsorum plenius declarat, et per easdem metas, prout iidem hospites ipsam terram tenuerunt; item terram Debreta nuncupatam Castri Nitriensis, inter Vag et Duduag existentem in metis, quibus castrum tenuit; item terram Alma Castri Simigiensis sitam iuxta terram eiusdemEcclesie Sancti Martini de villa Sacti Ladislai similiter in eisdem metis et terminis, quibus castrum tenuit et possedit, perpetuo duxi-

mus conferendas. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes dedimus litteras duplicis sigilli munimine roboratas. Datum per manus Magistri Farkasii Electi Ecclesie Albensis aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M°CC°LX° secundo, regni autem nostri vigesimo octauo.

Jegyzet. Ugyanazon cserére vonatkozik IV. Béla királynak egy másik szintén 1262-ki okmánya, melynek szövege a fenebbitől némileg eltér. Czélszerűnek látszik tehát ennek is eltérő részét közleni.

„Bela stb., quod cum insulam, que fuit Kaliani stb. — *Monasterio* Sancti Martini de S. M. P. — contulissemus stb. — de voluntate Abbatis et Conuentus predictorum ipsi *Monasterio* S. Martini in commutacionem eiusdem villam et terram nostram de Bok existentem in Comitatu Zaladiensi sub eadem libertate et debito, sicut hospites in eadem existentes nobis tenebartur; *videlicet quod nec in furto, nec in decimis, nec in monetis, nec super aliis quibuslibet causis coram judice parochiali, nisi coram nobis et coram villico suo astare teneantur* duximus conferendam; *adiicientes, quod ultra id iidem populi de Bok ea gaudeant ad plenum libertate, qua vniuersi populi Monasterii Sancti Martini ex concessione Regum, prout in priuilegiis ipsius Monasterii plenius continetur, gratulantur. Ad hec populos congregandos ad terram Alma et Debreche, quas ex nouo ipsi Monasterio Sancti Martini in commutacionem castri contulimus, eadem similiter per omnia volumus gaudere libertate, qua gratulantur alii populi eiusdem Monasterii et superius est expressum.* In cuius rei stb. (Az okmány egyéb szövege a fenebbivel szóról szóra megegyez.)

(Mindkét okmánynak eredetie őriztetik a szent mártoni főapátság levéltárában.)

15.

IV. Béla király helybenhagyja a győri káptalannak 1222-ki okmányát, mely a pannonhalmi apátsághoz tartozó Nyulas helység és lakosainak jogállapotáról szól. 1262.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam tenore presenciam uolumus peruenire, quod fidelis noster Fauus venerabilis Abbas Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie pro se et pro conuentu suo ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis litteras Capituli Iauriensis confectas super terra Nulos, quam cum populis in eadem residentibus post collacionem Regiam Monasterio suo in concambium predii sui Knesa vocati de iobagionebus castri Musuniensis ordine iudiciario obtinuit; cum iidem, sicut in eisdem litteris contineri vidimus, super illa terra et libertate hominum residencium in eadem, contra dictum monasterium litem suscitassent, petendo a nobis instantissime, vt easdem ad maiorem certitudinem nostro dignaremur priuilegio confirmare. Nos itaque, qui ipsius monasterii nostri, utpote patronus, debemus invigilare commodis et augmentis, litteras Capituli memorati super ipso facto ratas habentes et acceptas, ne super ipsa terra Nulos aut condicione hominum predictorum lapsu temporis — — — Abbas vel Monasterium Sancti Martini impeti valeat per aliquem, auctoritate presencium confirmandas duximus et ad iustam peticionem prefati Faui Abbatis easdem presentibus inserendas. Quarum quidem talis est:

In nomine Sancte Trinitatis et Indiuidue Trinitatis B. Prepositus et Capitulum Ecclesie Geuriensis etc. (Következik a győri káptalannak 1222-ki okmánya, mely olvasható Okmánytárunk I. kötetében 189. l. 109. sz. a.)

In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam pre-

esntes dedimus litteras sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasii Electi Albensis aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo. Regni autem nostri anno vicesimo octauo.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

16.

IV. Béla király megerősiti Pikud nevü asszonynak intézkedését, mely által Tamásy és Péterd nevü birtokát a pannonhalmi apátságnak hagyományozza. 1262.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Ram Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanieque Rex omnibus tam presentibus quam futuris litteras presentes inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod nobilis matrona domina Pikud, filia Petri, relicta Cozmach filii Gug, una cum filia sua domina Albina ad nostram accedendo presenciam, cum careret solacio liberorum, a nobis instantissime postulauit, puod licenciam sibi daremus, vt quasdam terras suas Tamasy et Peterd nuncupatas, quarum unam videlicet terram Tamasy predictus pater suus in copula matrimoniali sibi contulerat, et aliam, scilicet terram Peterd, que sibi a prememorato marito suo relicta fuerat et possessa per eandem pacifice et quiete, conferre posset et donare Monasterio Beati Martini de Sacro Monte Pannonie pro remedio anime sue et mariti sui memorati ac filij Simonis, qui super dicta terra Peterd miserabiliter extitit interfectus. Verum quia secundum Regni nostri consuetudinem approbatam possessiones sine herede decedencium ad manus nostras de iure debent periinere, nec ipsa matrona de dictis terris quicquam ordi-

nare poterat, nisi ex concessione nostra, quam de huiusmodi factis quibusdam familiaribus et bene meritis facere consueuimus ex gracia speciali, nos cupientes utilitati dicti monasterii Sancti Martini Regia benignitate prouidere ut patronus, licet collacio predictarum terrarum ad nos de iure pertinere debuisset tanquam sine herede decedentis; tamen pium propositum dicte matrone attendentes in hac parte, et ipsam ad explendum seu faciendum propositum suum supradictum in collacione terrarum predictarum permittimus, et eciam nos, ad quem magis collacio ipsarum terrarum consuetudine Regni approbante de iure pertinebat, perpetuo contulimus monasterio supradicto sub eisdem metis et terminis, quibus ipsa matrona supradicta dignoscitur antea tenuisse. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes litteras dedimus duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasij Electi Albensis Ecclesie aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri anno Domini M°CC°LX° secundo, Regni autem nostri anno vicesimo octauo.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

17.

IV. Béla király a székes-fehérvári káptalannak ugyanazon intézkedésről készült okmányát erősiti meg. 1262.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanieque Rex omnibus tam presentibus quam futuris litteras presentes inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod fidelis noster Fauus venerabilis Abbas Monasterii Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie ad nostram accedendo presenciam nobis significauit, quod filia Petri filii Comitis Leustachij relicta Cozmach filii Gug,

cum careret solacio liberorum, terras suas Tamasi et Petud nuncupatas monasterio Beati Martini in eleemosynam perpetuam coram Albensi Capitulo contulerit pacifice possidendas. Cum autem donaciones possessionum facte sine consensu Regio non possint perenniter stabiliri; ideo a nobis instantissime postulauit, quatenus iam dicte domine factas donaciones nostro dignaremur priuilegio confirmare. Verum quia idem monasterium speciali gaudet priuilegio, et cum nos aliunde pro incremento vtilitatis eiusdem in his et aliis esse fauorabiles debeamus, peticionem dicti Abbatis iustam esse omnino attendentes, premissam possessionum collacionem gratam habentes, ipsam secundum formam litterarum Albensis Capituli, in quorum presencia earundem donacio facta fuerat, ipsi monasterio nostro auctoritate presencium duximus confirmandam. Quarum quidem litterarum Albensis Capituli tenor tal.s est:

(Következik a székes-fehérvári káptalan 1262-ki okmánya, mint alább 20. sz. a.)

Vt igitur prefatas possessiones dictum Monasterium nostrum possit perpetuo et pacifice possidere, in confirmacionem donacionis premisse presentes litteras in testimonium dari fecimus sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasij Electi Albensis Ecclesie aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini MCCLX. secundo, Regni autem nostri anno vicesimo octauo.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

18.

István ifjabb király Mihály grófnak Patak várában egy tornyot adományoz 1262.

Nos Stephanus Dei gracia Rex primogenitus Illustris Regis Hungarie, Dux Transiluanus memorie commendantes significamus vniuersis presencium per tenorem: Quod nos quamdam turrim in castro nostro de Potok ex parte septemtrionali existentem, nondum prefectam, sub nostro nomine constructam Comiti Michaeli fitio Ubul fideli nostro perpetuo duxerimus conferendam. Ita quod eam perficiat ipse, idem perpetuo possideat, et filiis suis imposterum relinquendi liberam habeat facultatem; ita eciam, quod si Domino concedente Regnum fuerit in tranquillo, dictus Michael Comes et filii sui possessores dicte turris in nullo judicio Castellani ipsius castri adstare teneantur; si vero aliquid sinistri euenerit, quod tamen absit, iudicio Castellani ipsius castri adstare teneantur, sicut alii in eodem castro commorantes; et in cisternis partem habeant communiter cum eisdem. Preterea concessimus, quod cum idem Michael Comes vel sui filii victualia seu alia quecunque pro utilitate dicte turris et suorum ad ipsum castrum transferre voluerint, nullum tributum nullamque mulctam vel tricesimam in aliquibus locis tributorum dare teneantur. Datum in ponte Ruchard feria sexta post festum Sancti Georgii, anno Domini M°CC° sexagesimo secundo.

(Kaprinay kézirataiból, 4. B. I. köt. 17. l.)

19.

IV. Orbán pápa Fülöpnek zágrábi püspöknek, ki esztergami érseknek postuláltatott, megengedi, hogy az esztergami egyház kormányát ideiglenesen átvegye. 1262.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri Philippo Episcopo Zagabriensi salutem etc. Presentatam nobis postulationem de te in Strigoniensi Ecclesia, pastoris destituta solatio, celebratam, per venerabilem fratrem . . . Episcopum Penestrinum, et dilectos filios nostros I. Portuensem Electum et O. Sancte Marie in Via Lata Diaconum Cardinalem, secundum laudabilem Ecclesie Romane consvetudinem examinari fecimus diligenter. Et licet compertum fuerit per examinationem huiusmodi, postulationem eandem concordem et canonicam extitisse; nosque noverimus, quod ex tuis magnificis meritis te maiora decerent, et amplioribus esses honoribus attolendus, tamen iura et statutum Sedis Apostolice super hoc edita servari volentes, admittere distulimus postulationem ipsam ad presens eam relinquentes, donec personaliter ad predictam sedem accesseris, in suspenso. Ceterum cum nolimus, quod eadem Ecclesia patiatur ob defectum regiminis aliquod detrimentum, propter urgentem necessitatem ac evidentem utilitatem ipsius te in procuratorem dicte Strigoniensi Ecclesie concedentes, curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus tibi auctoritate presentium duximus committendam, fraternitati tue per Apostolica scripta mandantes, quatenus infra festum Sancti Iacobi Apostoli proximo futurum ad presentiam nostram personaliter accedere non postponas: alioquin procurationem et administrationem huiusmodi finire volumus eo ipso. Datum Viterbii III. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri anno primo.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 243. l.)

20.

A székesfehérvári káptalan bizonyságlevele, hogy Pykud, Cozmach özvegye, Tamási és Peturd nevü jószágait a pannonhalmi apátságnak hagyományozza. 1262.

Capitulum Albensis Ecclesie omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, gued constitutis coram nobis domina Pykud filia Petri filii Comitis Leustachij de genere Zak, relicta Cozmach filii Gug ab vna parte, fratre Bonifacio monacho monasterii Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie nomine et vice Abbatis et Monasterii supradicti ex altera, eadem Pykud terras suas, quarum vnam Tamasy vocatam a suo patre karissimo predicto Petro in matrimoniali copula secum traditam, et aliam Peturd nuncupatam a suo socero Petro Ecclesie nostre quondam Preposito fratre mariti sui dicti Cozmach sibi collatam, vt dicebat, easdem metis undique distinctas pro optinendo eterne salutis brauio et ob remedium animarum karissimi patris sui Petri antedicti et Cozmach mariti sui, et eiusdem Prepositi ac filii eiusdem domine nomine Symonis super eadem terra Peturd interfecti prenotato monasterio in eodem pleno iure, sicut ipsa domina possedit, contulit et donauit perpetuo possidendas, consenciente karissima filia sua dicta Albina uxore Petrus et permittente, et ipsam donacionem per predictam matrem súam factam personaliter pio desiderio coram nobis ad profectum approbante. Hoc interposito, quod si voluntati ipsius domine Pykud placuerit, apud ipsum monasterium conuersari, extunc sepedictum monasterium ad tempus uite sue, dando victum et vestitum sibi, utpote matrone piarum largicione elemosynarum ipsum amplexanti tenebitur prouidere. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras nostro sigillo communitas. Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo

secundo, IIII-o Nonas Iunij. Magistro Paulo Ecclesie nostre Electo aule Regie Vice-Cancellario, Gregorio Cantore, Feliciano Custode, Michaele Decano existentibus.

(IV. Béla király megerősitő okmányaiból, lásd fenebb 17. sz. a.)

21.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy Széplak helységnek része, melyet János, Belid fia, Herbord grófnak, Osl fiának, elzálogositott, kellő időben ki nem váltatván, az utóbbinak tulajdonává vált. 1262.

Capitulum Ecclesie Geuriensis omnibus Christi fidelibus presencium inspectoribus salutem in Domino. Nouerit vniuersitas vestra, quod cum Iohannes filius Belid porcionem in uilla Zeplok ipsum contingentem, scilicet sextam partem, que decedente Nicolao filio Osl sibi fuerat deuoluta, nostrarum literarum testimonio, Comiti Herbordo filio Osl fratri suo pro viginti duabus marcis pignori obligasset, adueniente termino eiusdem possessionis redemcioni deputato, videlicet die Dominica, qua cantatur „Esto Michi"; nec idem Iohannes, nec aliquis consanguineorum suorum dictam possessionem redimere curauerint sex diebus coram nobis expectati. Vnde ex obligacione sua dicta possessio cum omnibus vtilitatibus et attinenciis suis eidem Comiti Herbordo et suis heredibus est perpetuata. In cuius rei memoriam perpetuam presentes dedimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Anno Domini M°CC°LX° secundo. Chepano Preposito, Jurkone Cantore, Hectore Custode existendo.

A. B. C. D.

(Az eredeti után Csech.)

22.

Több mosonyi várjobbágyok Staraduna nevü szigetöket a győri káptalan előtt a pannonhalmi apátnak vallják be. 1262.

Capitulum Ecclesie Geuriensis omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod constitutis coram nobis Stephano filio Petri pro se et pro filiis suis Stephano ac Iacobo, Michaele filio Guestred, Marcello filio Siluestri pro se et fratribus suis, Stephano et Nicolao, Pouca filio Iohannis de Vruzvar, Romano filio Voskan, Hermanno filio Sabus, Pousa filio Geyse pro se et pro Petk, Marco ac Nicolao filio Nicolai de villa Reugen, jobagionibus castri Musuniensis ex vna parte; et fratribus Bonifacio et Henrico monachis Monasterii Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie nomine et vice Abbatis et Monasterii supra dicti ex altera, iidem Stephanus et consanguinei sui prenotati quandam insulam suam hereditariam Staraduna vocatam cum omnibus vtilitatibus et attinenciis suis, siluis videlicet, fenetis, terra arabili ac piscatura Danubii pro modo longitudinis ipsius insule eandem contingentis, a parte septemtrionali terre Strigoniensis Ecclesie, ville scilicet Pispuky, ab oriente vero et occidente terre eorundem virorum commetaneam, exceptis tribus insulis suis aliis, Camara, Eurem et Polonatu uocatis, vendiderunt prefato Abbati et monasterio pro quadraginta tribus marcis argenti coram nobis sibi plene persolutis iure perpetuo possidendam, assumentes et obligantes se, ut quicunque super eadem insula ac pertinenciis suis predictis dictum Abbatem et Monasterium impetere vel molestare processu temporis attemptaret, ipsos tunc eorum quilibet defendere et expedire tenebuntur propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium ad peticionem parcium presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo

secundo. Chepano Preposito, Iurkone Cantore, Hectore Custode existentibus.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

23.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy Dénes, baráthi lakos, Barát-Sukuróbun fekvő szőlejét a pannonhalmi apátságnak oda ajándékozta. 1262.

Capitulum Ecclesie Geuriensis omnibus litteras presentes inspecturibus salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod constitutis coram nobis Wyda filio Dionisii, et Jacobo fratre eiusdem Dionisii de villa Barath ex una parte, et venerabili patre domino F(avo), Abbate Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie ex alia; iidem Vida et Jacobus asseruerunt viua voce, quod prefatus Dionisius. cum adhuc plena corporis sospitate frueretur, quandam uineam suam empticiam in Baratsucurov in loco, qui Luk dicitur, existentem a meriridie viuee nostre, ab occidente uero vineis Monasterii Sancti Martini contiguam, dicto Abbati et Monasterio pro anime sue remedio et perpetua elemosina contulit, et donauit, quam eciam donacionem ipsi Vida et Jacobus coram nobis ad plenum pio desiderio approbarunt. In cuius rei memoriam perpetuam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo. Chepano Ecclesie nostre Preposito, Iurkone Cantore, Hectore Custode existentibus.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

24.

A veszprémi káptalannak bizonyságlevele, a pannonhalmi apátság, s Pongrácz és fiai közti jószágcseréről. 1262.

Capitulum Wesprimiensis Ecclesie omnibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod constitutis coram nobis Marcello et Stephano filiis Pongracii pro se et pro fratribus suis, Johanne videlicet et Artolpho; ac pro predicto patre eorum ab vna parte, fratre Laurencio, Decano Monasterii Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie nomine et vice Abbatis et Monasterii supradicti ex altera; ijdem Marcellus et Stephanus confessi sunt quandam terram suam hereditariam Juren vocatam certis metis undique distinctam, sicut in priuilegio domini Bele Illustris Regis Vngarie contineri vidimus, cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis suis se dedisse seu tradidisse Abbati et Monasterio predictis in concambium cuiusdam terre ipsius Monasterii Hagmas vocate certis metis vndique distincte, iure perpetuo possidendam. Et quia prefata terra Juren maioris quantitatis et utilitatis existit, idem Abbas et Monasterium in additamentum predicte terre Hagmas soluerunt coram nobis decem marcas Marcello et Stephano supradictis. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras nostri sigilli munimine roboratas. Datum anno gracie M°CC° sexagesimo secundo. Venerabili in Christo patre Zlando Episcopo, Fauo Preposito, Fabjano Lectore, Paulo Cantore, Joanne Custode Ecclesie nostre existentibus.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

25.

Lőrincz országbirónak, a pannonhalmi apátság, s Pál és László mosonyi várjobbágyok közti, dorogi peres kirtokra vonatkozó itélete. 1262.

Nos magister Laurencius Judex Curie domini Regis et Comes Zaladiensis tenore presencium omnibus quibus expedit significamus, quod Paulus jobagio castri Musuniensis de villa Durug pro se et Ladizlao fratre suo adstans contra Fauum Abbatem Monasterii Sancti Martini personaliter adstantem egerat coram nobis proponendo, quod idem Abbas de terra ipsorum in terra Durug versus terram Comitis Marci intra metas eorundem quadraginta iugera terrarum viribus suis occupata contra voluntatem eorum detineret, faciens jobagiones suos super eadem residere. E conuerso autem idem Abbas per ipsum Paulum sibi obiecta se fecisse denegans, obiecerat in contrarium, quod illa quadraginta iugera terrarum, que ijdem Paulus et Ladislaus nomine sue terre requirunt, fuerit terra Monasterii Sancti Martini ab antiquo, et quod ante aduentum Tartarorum et post semper iobagiones ipsius Monasterii Sancti Martini super eadem resedissent. Vnde auditis proposicionibus parcium ipsis Paulo et Ladislao super sua proposicione adiudicare probacionem volebamus. Sed idem Paulus probare non assumpsit, sed fratri (?) ipsius Abbatis et vnius nobilis de eadem provincia commisit. Vnde decreueramus, quod idem Abbas et Comes Conraldus de Gug, quem idem Abbas spontanea voluntate nominauit et assumpsit in quindena Natiuitatis Beate Virginis coram Capitulo Jauriensi contra Paulum et Ladislaum predictos, iurarent super eo videlicet, quod illa quadraginta iugera terrarum, que requiruntur per predictos, fuerit terra Monasterii semper et ab antiquo per ipsam Ecclesiam possessa. Tandem in octauis Sancti Martini predictus Abbas coram nobis constitutus exhibuit litteras Capituli Jauriensis hec verba continentes:

Nos Capitulum Ecclesie Jauriensis damus pro memoria, quod cum secundum continenciam litterarum magistri Laurencii Judicis Curie domini Regis Abbas Sancti Martini in quindenis Natiuitatis Beate Virginis contra Paulum et Ladislaum jobagiones castri Musuniensis de villa Durug super quadraginta iugeribus terrarum in terra Durug coram nobis prestrare debuisset sacramentum; tandem ipso die partibus coram nobis constitutis ijdem Paulus et Ladislaus eidem Abbati iuramentum relaxarunt, relinquentes pacifice predicta quadraginta iugera terrarum Abbati et Monasterio Sancti Martini perpetuo possidenda. Adiicimus eciam, quod eadem die Marcus Comes filius Mauricii coram nobis personaliter constitutus dictum Abbatem in commetaneum seu vicinum suum quoad predicta quadraginta iugera recepit et admisit spontanea voluntate, renuncians accioni, quam contra predictos Ladislaum et Paulum et eorum consanguineos super commetaneitate terre Durug intendebat.

Nos itaque eisdem litteris Capituli uisis et intellectis easdem litteras de verbo ad verbum presentibus inseren es, eadem quadraginta iugera terrarum, sicut in eisdem litteris Capituli uidimus contineri, Abbati et Monasterio Sancti Martini dimisimus pacifice et quiete possidenda. In cuius rei memoriam presentes Abbati supra dicto concessimus sigilli nostri munimine roborantes. Datum Posonii anno Domini M°CC° sexagesimo secundo in festo Beate Catherine Virginis

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

26.

Miklós nógrádi esperestnek, egyházi birtokra vonatkozó itélete. 1262.

Nos Nicolaus Archidiaconus Nevgradiensis memorie commendantes significamus omnibus presentibus et posteris presentem paginam inspecturis : Quod Boht, sacerdos Ecclesie Sancti Michaelis Archangeli de Kezv et uoluntate et permissione filii (igy) Ecclesie sue ex una parte; Karul uero patronus Ecclesie Omnium Sanctorum de Beren ex altera coram nobis constituti; idem Boht sacerdos dixit, de parochia sua quandam villam curui Johannis Beren uocatam per sacerdotem Ecclesie Omnium Sanctorum de Bereg (?, helyesben „Beren“) contra iusticiam occupatam detineri; Karul uero illam dixit parochiam esse Ecclesie Omnium Sanctorum de Beren. Quod cum super hoc coram nobis diu fuisset questio ventilata, tandem postmodum dedimus scire ad fidem eorum, qua Deo tenentur, quibusdam sacerdotibus senioribus parochie nostre, scilicet Vicario nostro Ladomerio de Filek, Andre de Losunc, Endre de Dalan, Peuce de Chalan et Gregorio de Hvgog; si uilla curui Johannis, que dicitur Beren, ad Ecclesiam Sancti Michaelis Archangeli de Kezv iure pertineret, uel ad Ecclesiam Omnium Sanctorum de Beren. Qui postmodum ad nos redeuntes fideliter requisiti uiua uoce retulerunt, quod dicta uilla Johannis Beren uocata, ab antiquo esset parochia Ecclesie Omnium Sanctorum de Beren. Nos vero per uerba antedictorum sacerdotum sciendo ueraciter, predictam uillam Johannis Beren nuncupatam statuimus Ecclesie Omnium Sanctorum de Beren iure perpetuo possidendam; ita ut de cetero filii Ecclesie Sancti Michaelis Archangeli de Kezv, uel sacerdos eiusdem Ecclesie processu temporis racione sepe dicte uille Johannis nullam possint mouere questionem. Vt autem talis rei series sine obliuione uivat apud posteros, ad robur perpetue firmitatis presentes

litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum anno Domini M° CC° sexagesimo secundo.

(Eredetie a leleszi konvent levéltárában.)

27.

IV. Béla a pápát értesiti, hogy közte és fia István közt a béke és egyetértés helyreállt. 1263.

Sanctissimo patri ac domino U(rbano) Diuina providencia Sacrosancte Romane Ecclesie Summo Pontifici, Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, (Gallicie), Lodomerie (Cumanie) que Rex reuerenciam filialem et devota pedum oscula beatorum. Suscitata olim inter nos et karissimum filium nostrum Regem Stephanum discordia et materia questionis, ex qua in Regno nostro multa dispendia et discrimina timebantur, si durassent, provenire, venerabiles patres Strigoniensis et Colocensis Archiepiscopi ad sedandam huiusmodi discordiam interposuerunt cum efficacia partes suas, et tunc inter nos et ipsum filium nostrum de consensu et beneplacito utriusque partis grata et amicabilis composicio intervenit, quam de consilio et assensu Prelatorum, Comitum et Procerum nostrorum firmavimus hinc inde propriis iuramentis, et nostro, Prelatorum, Principum ac Baronum nostrorum sigillis fecimus roborari. Delato postmodum ad aures Vestre Sanctitatis huiusmodi discordie rumore, placuit Beatitudine Vestre ad nos et dictum nostrum filium religiosum virum, providum et discretum fratrem Velascum, Penitenciarium et Capellanum vestrum, transmittere ad pacem inter nos et concordiam faciendam et pariter reformandam: qui tamquam vir providus et discretus et circumspectus monita pacis et exhortaciones quamplures nobis faciens, cum multa instancia postulavit, et nos inducere nitebatur, ut cuiuslibet dissensionis errore fugato et rancore, si quis esset inter nos,

omnino deposito in pacem bonam et rectam, partibus communem et Sedi Apostolice acceptam deberemus nos et idem noster filius convenire: adiciens idem penitenciarius, quod nisi hoc faceremus, neglectis omnibus periculis et quibuscumque aliis contingentibus sinistris, que possent ei accidere hac de causa, nos ad hec per excommunicacionis in personas nostras et interdicti in terras nostras sentencias cohartaret. Ipso vero penitenciario ad hec multis racionibus et multa instancia insistente, ut pacem et concordiam huiusmodi faceremus, nos habito consilio Prelatorum et Procerum nostrorum, qui tunc temporis nobiscum aderant, sibi finale responsum dedimus in hunc modum: quod sufficiebat ei, si a nobis poterat optinere, et in nobis perficere et stabilire pacem, pro qua a Sede Apostolica ad nos fuerat destinatus. Melius enim erat firmare et certis penis vallare composicionem inter nos ordinatam de utriusque partis beneplacito et assensu, quam nos et filius noster volumus observare, et a qua non possumus sine reatu periurii et multo dispendio resilire; quam, ista interrupta, inchoare tractatus alterius nove pacis, que perfici forsitan nunquam posset: et posset contingere, quod occasionem et causam in nobis maioris discordie generaret. Adicientes etiam, quod nos et idem filius noster ordinavimus, et iuramento firmavimus eandem composicionem vestro conspectui presentare, et ut confirmaretur per Sedem Apostolicam, deberemus concorditer supplicare, sicut in litteris super ipsa composicione confectis plenius continetur. Tandem idem penitenciarius ad corroboracionem pacis et concordie procedens, et multis persuasionibus salutaribus nos inducens in presencia venerabilis patris Archiepiscopi Strigoniensis, aule nostre Cancellarii, et discretorum virorum Magistri Farcasii, Electi in prepositum Albensem, Vice-Cancellarii nostri, Magistri Mutimerii Prepositi de Scypis, Magistrorum Demetrii Borsiensis et Ladizlai Huntyensis Archidiaconorum in Ecclesia Strigoniensi, Magistri Feliciani Custodis Albensis, fratris Marci Custodis Strigoniensis, fratris Antonii Gardiani de Lipha, fratris Pauli de Symigio, et fratris Alexii Ordinis Minorum, fratrum Marcelli, Petri et Theodori Lectoris Ordinis fratrum Predicatorum, et nobilium virorum Magistri Moys summi Camerarii karissimi filii nostri Bele Ducis, Comitis

Symigiensis et Vorosdiensis, Philippi Magistri Pincernarum nostrorum, Chak Magistri Dapiferorum domine Regine, Thome de Kerkou et Pouse Bacciniferorum nostrorum Comitum, Thome Comitis de Harasna, et Pobor Comitis Preconum, et aliorum quamplurium iuravimus in manus ipsius penitenciarii sacrosanctis evangeliis et ligno vivifice crucis corporaliter tactis, quod non molestabimus ipsum filium nostrum Regem Stephanum, nec Reginam iuniorem consortem suam, karissimam nurum nostram, nec homines suos, nec terras eorum, nec aliquem exercitum, vel expedicionem contra ipsos, vel contra terras eorum, vel sibi adherencium faciemus, vel a nostris fieri permittemus, et aliquas civitates aut castra, vel villas aut possessiones ipsorum aliquas non occupabimus, nec occupari a nostris permittemus; sed ea parte Regni nostri, possessionibus et reditibus, que pro nobis retinuerimus, sicut in ipsa composicione continetur, sumus et erimus contenti, quoad vixerimus, Domino concedente. Predictam eciam composicionem iuramentis nostris et supradicti filii nostri vallatam, ad beneplacitum et mandatum Beatitudinis Vestre, et Sedis Apostolice observabimus inviolabiliter bona fide et sine fraudo et dolo, et faciemus per nostros similiter observari. Et ut ostendamus probabiliter per effectum, quod ea, que in manibus dicti penitenciarii iuravimus, observabimus, et nunquam contraveniemus, submisimus et submittimus nos libenti animo et spontanea voluntate eidem penitenciario in hoc facto, videlicet ut ipse sentenciam excommunicacionis et suspensionis in nos et nostros, et interdicti in terras et capellas nostras, prout sibi videbitur, promulget: quibus sentenciis involvi et ligari volumus nos et nostros, si presumpserimus pacem et concordiam iam factam perturbare, vel contra iuramentum nostrum venire, vel composicionem infringere, vel ipsam in aliquo violare. In cujus rei testimonium presentes litteras nostro sigillo duplici, et Archiepiscopi Strigoniensis, et aliorum Baronum et fidelium nostrorum inscriptorum sigillis fecimus communiri. Datum aput Lypcha, anno Domini millesimo ducentisimo sexagesimo tercio, tercio Nonas Augusti.

(Az eredeti után Theiner id. m. I. k. 244. l.)

28.

IV. Béla király megerősiti a pannonhalmi apátság számára Scynes nőnek II. Gejza király helybenhagyásával 1146. tett adományát. 1263.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum tenore presencium volumus peruenire, quod accedens ad nostram presenciam fideli noster Fauus Abbas Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie presentauit nobis priuilegium Geyse Regis Secundi pie recordacionis, petens vt idem nostro Regali priuilegio renouare seu confirmare dignaremur. Cuius siquidem tenor talis est:

(Következik az 1146-ki okmány, mely olvasható I. kötetünkben 56. l. 24. sz. a.)

Nos igitur tenorem priuilegii eiusdem Geise Regis de uerbo ad uerbum recitantes nostro priuilegio inseri faciendo ad peticionem dicti Faui Abbatis presentibus duximus confirmandum. Actum per manus magistri Farkasii Electi Albensis aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, sexto kalendas Nouembris, Regni autem nostri anno vigesimo nono.

(Az eredeti után, mely a sz.-mártoni főapátság levéltárában őriztetik. *Czech.*)

29.

IV. Béla király meghatározza a füzedtői vendégek jogait és szabadságait. 1263.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque Rex vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vuiuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire; quod cum ad terram Monasterii Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie Fyzedtu vocatam hospites libere condicionis fecissemus pro nostro seu Regni nostri commodo congregari, de consensu et beneplacito Abbatis Monasterii supradicti eisdem hospitibus congregatis et congregandis talem ordinauimus seu statuimus libertatem, vt ijdem in festo Sancti Martini racione terragii Monasterio Sancti Martini soluerent duo pondera annuatim; in aliis autem obseruabunt libertatem Budensis Ciuitatis tam in facto villici, quam eciam circa judicia eo modo, vt omnes causas inter ipsos exortas villicus eorum pro tempore constitutus judicabit; hoc expresso, quod in causa sanguinis due partes judiciorum cedent Monasterio Sancti Martini, tercia parte villico remanente. Item quatuor molendina et tributum in Fyzedtu, que ab antiquo fuerunt eiusdem Monasterij, eidem Monasterio possidenda reliquimus pleno iure. Item illa duo molendina, que Abbas dicti Monasterii Heric, tunc temporis villico, ob merita seruiciorum contulit, idem Heric et sui heredes iure perpetuo possidebunt, ita quod nec villicus, qui pro tempore fuerit constitutus, in ipsis molendinis aliquam racione villicacionis sue habere poterit porcionem. Item si aliquis ex illis hospitibus heredum solacio destitutus nature debitum persoluerit, de omnibus bonis suis cuicunque voluerit, legandi, relinquendi seu disponendi liberam habeat facultatem iuxta sue beneplacita voluntatis. Item si quis ex dictis hospitibus contra villicum suum litem aggredi voluerit, eundem nonnisi ad

presenciam Abbatis Sancti Martini debeat conuenire, quem Abbas vna cum sex juratis eiusdem ville judicabit. Item statuimus, quod nullus Baronum nostrorum, vel alter aliquis super eosdem hospites descensum possit facere violentum. Preterea piscacionem, quam Monasterium Sancti Martini ibidem habuit et possedit, de beneplacito Abbatis eiusdem Monasterii dictis hospitibus perpetuo duximus conferendam. Item de tributo portus Danubii, quem nos ibidem duximus statuendum, due partes cedent hospitibus supradictis pro deliciis seu seruiciis nobis impendendis; terciam uero partem Monasterium percipiet antedictum; de omni autem tributo dicti portus decimam partem terrestres eiusdem terre percipient, per quorum terram transitum faciunt transeuntes. Vt autem concesse libertatis series inuiolabiliter obseruetur, nec per quempiam possit in irritum revocari, presentes dictis hospitibus concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farcasij Electi Albensis, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri; anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio; Regni autem nostri anno vicesimo nono.

(Robert Károly király 1320-ki megerősítő privilegiumából, mely őriztetik a sz.-mártoni főapátság levéltárában.)

30.

IV. Béla király Geubulint, Lónard fiát, Nádas nevü birtokkal adományozza meg. 1263.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanique Rex omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris, presentes litteras inspecturis salutem in omnium Salvatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus pervenire : quod cum Comes Geubulinus, filius Leonardi de Scepus grata no-

bis semper et acceptabilia servicia ac fervorem fidelitatis incessanter impendisset; nos ipsius serviciorum meritis condigna remuneracione Regia occurrere volentes cum favore, quandam (terram) Nadas vocatam in Comitatu de Scepus cum utilitatibus suis ipsi Geubulino, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, more Saxonum aliorum in Scepus commorancium de liberalitate Regia duximus conferendam, donacionis titulo perpetuo possidendam; et eandem sibi Detricus Comes de Scepus dilectus et fidelis noster de nostro mandato assignauit, sicut idem Detricus Comes nobis in suis litteris intimauit. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus literas sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Farcasii Albensis Ecclesie Electi, aule nostre Vice-Cancellarii, fidelis nostri; anno Domini M°CC° sexagesimo tercio, Regni autem nostri anno vicesimo nono.

(Erzsébet királyné 1280-ki megerősitő okmányából. *Csech.*)

31.

IV. Béla király Endrét, beszterczebányai birót, ezen város szomszédságában lévő erdővel adományozza meg. 1263.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque Rex vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium Saluatore. Vt contractus, qui fiunt per consensum Regium, stabiles perseuerent, per litterarum solent testimonia roborari, vt inconcussum quippe permaneat atque firmum, quod Regio fuerit patrocinio communitum. Ad vniuersorum ergo tam presencium quam futurorum Christi fidelium noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod nos consideratis fidelitatibus et seruiciorum meritis Comitis Andree fidelis villici nostri de Byzterchebana, que nobis in conseruacione et ampliacione

ville nostre predicte cum omni feruore fidelitatis impendit, maxime in augmentacionem argenti fodinarum nostrarum de supra dicta villa, in quibus lucrum nostre Regie Majestatis non modicum augmentatur, acceptabiles exhibuerit famulatus, coram nostre Majestatis oculis meruit multipliciter complacere, quandam syluam et terram inter prenominatam villam nostram Byzterchebana et Lyptche existentem cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis suis sub metis et terminis infrascriptis et a jurisdiccione et potestate Comitum de Zolum pro tempore constitutorum exceptam, eidem Comiti Andree et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus et contulimus perpetuo et irreuocabiliter possidendam. Verum quia de statu et circumstanciis, qualitate et quantitate ejusdem sylue et terre veritas ad plenum nobis non constabat, dilecto et fideli nostro Ditrico Comiti de Zolum filio Comitis Myke dedimus in mandatis, vt qualitatem et quantitatem, circumstancias et statum dicte sylue et terre nobis fideliter intimaret. Qui postmodum cognita veritate nobis suis litteris intimauit, nostre Celsitudini dictam syluam et terram pertinere, et quod eandem statuisset Comiti Andree antedicto presentibus jobagionibus castri nostri, et aliis commetaneis et vicinis, nemine contradicente, juxta mandatum nostrum sibi super eo comissum. Cujus quidem sylue et terre mete hoc ordine defiguntur, prout per eosdem homines comprehense extiterunt atque vise. Prima meta incipit, vbi quidam riulus, qui Celnice nominatur cadit in fluuium Goron, et ibi sunt due mete terree; et ascendit directe per ipsum vsque ad caput ejusdem; et inde ascendit directe vsque ad magnum lapidem, qui est circa montanam, et de illo lapide directe vsque in piscinam que nominatur Gezerna; deinde vadit ad caput fluuii qui Lypche nominatur, et per ipsam aquam descendendo ascendit ad montem, vbi est lapis, qui Turschan nominatur, et de illo monte ad paruum montem pyrosum, et inde peruenit ad duas metas, quarum vna est arbor *tulgfa*, et alia est meta terrea, et descendit ad quandam vallem, vbi est riuulus, qui magna Ystubna nominatur, vbi sunt due mete terree; deinde descendit per eandem aquam vsque ad magnam viam Lipche, vbi sunt due mete terree, et descendit per eandem viam vsque ad lacum, qui

est retro montem Preboy, et per illum lacum descendit vsque in fluuium Goron, et transeundo ipsum fluuium ascendit versus orientem vsque ad riuulum qui dicitur profundus fluuius, et ascendit vsque ad caput ejusdem fluuii, et de eodem ascendit vsque ad cacumen montis, et descendit per verticem montis ejusdem vsque ad fluuium Mulsche nominatum, et transeundo eundem fluuium ascendit altum montem, qui est versus fluuium Mulscha, et descendit de eodem monte vsque in fluuium Goron; et ibi est quedam insula, et de eadem insula ascendit vsque ad riuulum Celnice prenominatum, et ibi terminantur. Vt igitur nostre collacionis series robur obtineat perpetue firmitatis, nec possit processu temporum per quempiam in irritum retractari, presentes eidem dedimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farcasii Zagrabiensis Electi, aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, Regni autem nostri anno vigesimo octauo.

(Beszterczebánya városnak a kir. fiscus ellen használt permelléklete.)

32.

Mária királyné adománya a pannonhalmi apátság számára. 1263.

Maria Dei gracia Regina Hungarie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus peruenire, quod cum dominus Rex de Monasterio Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie castrum Kyssin, quod nunc Vyuar nuncupatur, recepisset et in concambium eiusdem castri eidem monasterio prouidere teneretur, et nos eciam ab eodem Monasterio pro quibusdam necessitatibus nostris vrgentibus octingentas marcas fini argenti receperimus, et contra vim Tartarorum pro nobilibus

expenderimus; quasdam possessiones nostras, videlicet nouam villam iuxta Wag existentem, cum aliis tribus villis ad ipsam pertinentibus, videlicet villa Sceredahel, villa Lubo et villa Putuorch predicto Monasterio Sancti Martini tam pro concambio castri Kyscin, quam pro octingentis marcis ab eodem monasterio receptis ex voluntate domini Regis et nostro beneplacito cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis in eisdem metis, in quibus nos possedimus et in eadem libertate, secundum quod nos tenuimus, perpetuo iure contulimus possidendas; et quandocunque per Abbatem eiusdem Monasteriii fuerimus requisite, sepedictas posscssiones cum aurea bulla domini Regis eidem monasterio per fidelem nostrum magistrum Mothmerium Prepositum de Scepes Cancellarium nostrum fecimus assignari. Vt autem hec nostra donacio seu collacio robur perpetue obtineat firmitatis, et nec per quempiam possit in irritum reuocari, presentes litteras noist as duplicis sigilli nostri munimine concessimus roboratas. Datum anno ab Incarnacione Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

33.

István ifjabb király, erdélyi vezér és a kunok ura, Indárcsi Tamást, Pált, Fenét és Ombot, kik a várjobbágyok azon osztályából eredtek, mely a föispánnak szállásadással tartozott, azon tekintetből, hogy a tatárok által földult földükön éhségre jutva kibujdosni ne kénytelenittessenek, maradékaikkal együtt a tisztes várjobbágyok osztályába emeli. 1263.

Stephanus Dei gracia junior Rex Hungarie, Dux Transsiluanus, et Dominus Cumanorum omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium Saluatore. Solet Regia Celsitudo sic sibi seruiencium honera subleuare,

vt populus sibi seruiens merito et numero pariter augeatur. Proinde ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam Thomas, Paulus, Feney et Omb de villa Inarch, filij videlicet iobagionum Castri Albensis, qui descensum Comiti suo dare consueuerant, nobis humiliter supplicarunt, vt cum eisdem per pestem Tartaricam desolatis misericordiam facere dignaremur. Nos igitur ipsorum fidelitates Regia pensantes pietate, ne propter prefatam inediam fugere compellantur, sed in ipsa terra per Tartaros desolata facilius possint commorari, benignitate solita eosdem de huiusmodi statu ipsorum eximentes in numerum et collegium honestorum iobagionum eiusdem Castri duximus transferendos, ita, ut tam ipsi quam ipsorum heredes, heredumque successores, in numerum et cetum honestorum iobagionum dicti Castri computari, perpetuo debeant gratulari. Et ut eorundem huiusmodi libertas a nobis concessa salua semper et inconcussa permaneat, nec in posterum possit in irritum per quempiam aliquatenus reuocari, presentes eisdem concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus dilecti et fidelis nostri venerabilis patris Smaragdi Archiepiscopi Colociensis Aule nostre Cancellarij, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio.

(Eredetije bőrhártyán elhalványodott veres selyemről függő kettős pecséttel, melynek alakja kivehetetlen, kiváltságlevél alakban, van Nagy-Kőrösön az Inárcsi Farkas testvérek levéltárában. *Szabó Károly.*)

34.

IV. Orbán pápa Timotheust zágrábi püspöknek határozza. 1263.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio Timotheo Electo Zagrabiensi salutem etc. Rationis oculis intuentes commoda, que vacantibus Ecclesiis de salubri provisione proveniunt,

reddimur corde solliciti, ut circa provisionem huiusmodi faciendam fructuose attentionis studium habeatur. Sane Zagrabiensi Ecclesia Episcopi solacio destituta, dilectus filius Prepositus et Capitulum ipsius Ecclesie convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Stephanum Capellanum nostrum, nepotem venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Penestrini, Prepositum Ecclesie Pozoniensis, patientem in etate defectum, in Zagrabiensem Episcopum unanimiter et concorditer postularunt. Nos autem presentata nobis postulatione huiusmodi, provisionem et ordinationem eiusdem Zagrabriensis Ecclesie dicto Episcopo Penestrino duximus committendas. Et licet in eodem Stephano imperfectum etatis suppleret generis et morum nobilitas, matura discretio et scientia litteralis; tamen predictus Episcopus, nolens ad carnem et sanguinem habere respectum, de te, tunc Subdiacono et Capellano nostro, Archidiacono de Zala in Ecclesia Vesprimiensi et Canonico Zagrabiensi, predicte Zagrabiensi Ecclesie, auctoritate sibi a nobis in hac parte comissa, providit. Nos itaque de tua providentia et circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, huiusmodi provisionem, quam eidem Zagrabiensi Ecclesie cognovimus expedire, ratam et gratam habuimus, et eam auctoritate Apostolica duximus confirmandam, ac nihilominus te de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis prefate Zagrabriensi Ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, firma concepta fiducia, quod eidem Zagabriensi Ecclesie per tuum ministerium prosperitatis et honoris, Deo propitio, desiderata proveniant incrementa. Quocirca discretionem tuam rogamus et hortamur attente, mandantes, quatenus humiliter suscipiens impositum a Domino tibi onus, predicte Zagabriensis Ecclesie sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum, doctrina verbi et operis informando; ita quod predicta Ecclesia tue diligentie studio spiritualibus et temporalibus, auctore Domino, proficiat incrementis. Datum apud Urbem Veterem VIII. Kal. Octobris (Pontificatus nostri) anno tertio.

In e. m. . . . Preposito et Capitulo Zagabriensi. Rationis oculis etc. ut in alia, verbis competenter mutatis, usque providit. Nos itaque attendentes, quod eidem Magistro Timo-

theo, quem nos et fratres nostri propter sue multiplicis evidentiam probitatis carum habemus plurimum et acceptum, clara morum et vite ac scientie merita suffragantur, et perhibetur testimonium, quod in spiritualibus et temporalibus sit laudabiliter circumspectus, huiusmodi provisione etc. usque incrementa. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, mandantes, quatenus eundem Electum admittentes ylariter et honorifice pertractantes, sibi tamquam patri et pastori animarum vestrarum impendatis obedientiam et reverentiam debitam, ac eius salubribus mandatis et monitis efficaciter intendatis; ita quod ipse in vobis devotionis filios, ac vos consequenter in eo patrem invenisse benivolum gaudeatis. Alioquin sentenciam etc. Datum apud UrbemVeterum X. Kal. Octobris (Pontificatus nostri) anno tertio.

In e. m. Clero Zagrabriensis Civitatis et Diocesis. Rationis oculis etc. ut in secunda usque in finem. Datum ut supra.

In e. m. populo Zagrabriensis Civitatis et Diocesis. Rationis oculis etc. usque mandantes, quatenus eundem Electum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum admittentes ylariter etc. usque gaudeatis. Datum ut supra.

In e. m. Vasallis Ecclesie Zagrabriensis. Rationis oculis etc. usque mandantes, quatenus vos universi et singuli eidem Electo, vel procuratoribus suis eius nomine in hiis, in quibus tenemini intendere, ac de suis iuribus integre respondere curetis; ita quod vos predictum Electum vobis proinde constituatis favorabilem et benignum, nosque devocionem vestram possimus merito commendare. Alioquin sentenciam etc. Datum apud UrbemVeterum VIII. Kal. Octobris. (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestaiból, Theiner id. m. I. k. 245. l.)

35.

IV. Orbán pápa rendelete, hogy az esztergami érseknek mindenki a szükséges utazási segitséget nyujtsa. 1263.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Capitulis, Conventibus et Collegiis Sancti Benedicti vel cuiuslibet alterius Ordinis, necnon Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Archipresbiteris, et aliis Ecclesiarum Prelatis, ac Preceptoribus seu Administratoribus domorum Hospitalis et Templi ac Sancte Marie Theutonicorum exemptis et non exemptis, ad quos littere iste pervenerint salutem et Apostolicam benedictionem. Cum negotium terre sancte venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Strigoniensi, viro utique probate fidei et examinate virtutis in Regno Ungarie de fratrum nostrorum consilio duximus specialiter committendum, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatenus ipsum, immo potius nos in eo, ob reverentiam Apostolice Sedis et nostram in eundo, morando et redeundo suscipientes honore condigno, sibi extra suam Civitatem et Diocesim personaliter in predicto negotio laboranti pro se sexdecim equitaturis et vingintiquinque personis in necessariis, necnon in securo conductu providere curetis liberaliter et decenter: ita quod idem, quem nos et dicti fratres sue probitatis exigentibus meritis carum habemus multipliciter et acceptum, cum ad presentiam nostram, Deo dante, redierit, laudabile possit vestre promptitudini testimonium perhibere, ac nos exinde reddere in vestris utilitatibus promptiores: alioquin sententias, quas ipse per se vel per alios rite tulerit in rebelles, ratas habebimus, easque faciemus auctore Domino firmiter observari. Non obstantibus aliquibus Apostolicis indulgentiis seu privilegiis sub quavis verborum forma concessis, qui-

buscumque ecclesiasticis ordinibus, collegiis, universitatibus, vel personis, quod excommunicari, suspendi vel interdici nequeant, seu ad prestandas procurationes Legatis et Nunciis Sedis Apostolice coartari, sive quibuslibet aliis cujuscumque tenoris existant, que nulli suffragari volumus in hac parte, et quibusvis constitucionibus a predecessoribus nostris editis, seu consvetudinibus quibuslibet de procurationibus Nunciis dicte Sedis sub certis modis et condicionibus exhibendis. Datum apud UrbemVeterem Kalendas Octobris (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 246. l.)

36.

IV. Orbán pápa az esztergami érseknek meghagyja, hogy a szent föld segitségére működjék. 1263.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri ... Archiepiscopo Strigoniensi salutem et Apostolicam benedictionem. Inter occupationes multiplices et immensas, quibus assidue angimur et distrahimur supra vires de subsidio terre Sancte vehementius cogitantes: ad hoc attenta sollicitudine et attentione sollicita instantius vigilamus, ut eiusdem terre succursui opportuno provideatur remedio, et crucis ac crucifixi negotium auctore Domino feliciter dirigatur. Nam licet nonulli predecessores nostri Romani Pontifices, grandis ad hoc diligentie studio ferventer institerint, nos tamen, qui statum illius terre presentialiter novimus, quique ipsius discrimina experientia palpavimus manuali, eo affectiosius cupimus eidem terre celeri et efficaci subsidio subvenire, quo terra eadem in graviori est hoc tempore necessitatis articulo constituta. Cum igitur nos centesimam omnium ecclesiasticorum preventuum Regni Ungarie usque ad quinquennium eidem terre de fratrum nostrorum consilio duxerimus conce-

dendam; fraternitati tue mandamus, quatenus huiusmodi centesimam annuatim usque ad predictum quinquennium per te vel per alium seu alios integre colligens, quicquid collectum fuerit, nuntiis eiusdem terre vel eorum procuratoribus seu alterius eorundem absque diminutione qualibet assignare procures, per eos in dicte terre subsidium convertendum. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas; non obstante, si Prelatis, personis, Capitulis, Collegiis, Conventibus et locis aliquibus exemptis et non exemptis a Sede Apostolica sit indultum, quod ad exhibendum alicui subsidium pecuniarium minime teneantur, quodque ad id compelli non possint. Omnes autem de Regno predicto clericos et laicos, cuiuscumque conditionis, ordinis et dignitatis existant, qui olim pro dicte terre subsidio crucis signaculum assumpserunt, et motu proprio deposuerunt assumptum voto huiusmodi minime adimpleto, ut illud cum devotione resumant; illos etiam qui assumptum non deposuerunt, et qui ipsum assument deinceps, ut se sic studeant preparare, quod personaliter se conferant in succursum terre predicte, et quod interim huiusmodi crucis signaculum deferant, moneas efficaciter, et inducas eos ad redimendum vota sua, vel ad transfretandum censura simili, appellatione postposita, coercendo. Verum quia, sicut accepimus, nonnulli executores plerisque personis et locis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis eiusdem Regni a memorata Sede concessi, super quibusdam concessionibus de redemptionibus votorum crucesignatorum, nec non de legatis datis, obventionibus, relictis subventioni terre predicte, ac aliis deputatis ad subventionem eandem in premisso Regno per nos et predecessores nostros Romanos Pontifices, seu alios de mandato Sedis predicte factis, modum in colligendis predictis excedant, aliasque in talibus perniciose versentur; nos nolentes ista sub dissimulatione transire, ne in grave, quod absit, vergant eiusdem terre per subtractionem vel diminutionem prefati subsidii detrimentum; volumus, ut in predicto Regno omnibus executoribus eisdem, personis et locis deputatis a predicta Sede super huiusmodi concessionibus ex parte nostra firmiter inhibere procures, ne quoquomodo ad colligenda premissa

procedant, eos, si contra tuam inhibitionem procedere forte presumpserint, a presumptione huiusmodi per eandem censuram, appellatione postposita, compescendo. Et nichilominus, qua auctoritate, quibusque personis et locis, sub qua forma et in qua quantitate fuerint predicta concessa, et que et quot et in quibus locis ab eisdem executoribus fuerint collecta pro eis diligentius inquirens, ea nobis per tuas litteras studeas fideliter intimare. Nos enim concessiones predictas aliquem vigorem habere, ac illarum pretextu quicquam percipi nolumus, donec per tuam insinuationem sciamus super premissis plenius veritatem, ac de hijs, prout expediens fore viderimus, disponamus. Tu autem interim redemptiones, legata, relicta, data et obventiones huiusmodi per te, vel per alium, seu alios, quos de hoc ydoneos esse cognoveris, integre colligens, quicquid de hiis collectum fuerit, nuntiis dicte terre vel eorum procuratoribus seu alterius eorundum convertendum in ipsius terre subsidium, assignare totaliter non omittas. Omnes etiam crucesignatos et crucesignandos pro dicte terre subsidio, quos sub nostra et Apostolice Sedis protectione suscipimus, non permittas per te vel per alium seu alios contra immunitates et privilegia crucesignatis ab eadem Sede concessa, ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi per eandem censuram, sublato cuiuslibet appellationis obstaculo, compescendo. Ad hec cum predicatio crucis in memorato Regno pro eiusdem terre succursu tibi per alias sub certa forma litteras sit commissa, nos volentes, ut negotium huiusmodi eo efficacius prosequaris, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, iniungendi libere per te vel per alium seu alios omnibus predicatoribus et executoribus crucis ecclesiasticis, secularibus et religiosis, pro terre sancte subsidio in dicto Regno a Sede Apostolica deputatis, aut in posterum deputandis, ut in omnibus, que promotioni dicti negotii expedire cognoveris, tibi assistant, obediant, pareant et intendant; assumendi etiam aliquos Ecclesiarum Prelatos, aliosque religiosos et seculares eiusdem Regni, de quibus expedire videris, ut in hiis, que spectant ad ipsius negotii promotionem, tibi assistant, intendant et obediant, et tam predicatores et executores predictos, quam Prelatos aliosque religiosos et seculares huiusmodi ad hoc, si necesse fuerit,

auctoritate nostra, appellatione remota, cogendi; faciendi etiam quinque clericis, qui tecum in ipso negotio laborabunt, beneficiorum, prebendarum et ecclesiarum suarum proventus per te, vel per alium seu alios, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, integre ministrari, ac si in ecclesiis, quas seu in quibus ea obtinent, personaliter residerent, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, consuetudinibus vel statutis contrariis Ecclesiarum ipsarum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, libera sit tibi de nostra permissione facultas. Presentium quoque auctoritate concedimus, ut predicatores crucis, quos ad id duxeris deputandos, ne huiusmodi eorum predicationibus impedimentum vel aliquod obstaculum ingeratur, questuariis universis et aliis quibuslibet et predicare volentibus, proponendi aliquid populo, dum ab ipsis predicatoribus crucis negotium proponetur, licentiam interdicere valeant ac compescere per censuram ecclesiasticam, sublato cuiuslibet appellationis obstaculo, temeritatem eorum, qui secus duxerint presumendum. Concedimus insuper tibi, ut cum ad aliquam villam vel ecclesiam Regni predicti ecclesiastico interdicto suppositam te declinare contigerit, possis interdictum huiusmodi suspendere, ac Divina officia, dum ibidem moram traxeris, in eadem Ecclesia propter crucis predicationem, exclusis excommunicatis, et hiis, qui causam interdicto dederint, celebrare ac facere clebrari. Et cum ad loca interdicta te declinare contigerit, crucesignandis, dummodo excommunicati non fuerint, nec causam dederint interdicto, audiendi te presente Divina officia in illis ecclesiis, in quibus possunt ex privilegiis Sedis Apostolice tunc temporis celebrari, licentiam valeas impertiri; preterea absolvendi per te vel per alium seu alios, eos, qui contra prohibitionem predicte Sedis vel Legatorum eius, Sepulchrum Dominicum visitarunt, ac illos, qui portaverunt ferrum, arma, lignamina et merces prohibitas Sarracenis, vel alias contra Christianos dederint eis consilium, auxilium vel favorem; quoslibet etiam clericos in prelaturis, dignitatibus vel personatibus constitutos, nec non presbiteros, qui contra constitutionem Ecclesie leges vel physicam audierunt, ab excommunicationum sententiis, quibus

propter hoc tenentur astricti; et dispensandi cum illis, qui excommunicati vel suspensi alias immiscentes se Divinis irregularitatem aliquam incurrerunt, dum tamen crucesignati existant vel crucem recipiant et in dicte terre subsidium personaliter transfretent, seu in propriis expensis alios illuc pro se ydoneos dirigant bellatores, aut alias partem de bonis suis prefato subsidio congrue iuxta tue et illorum, quibus hoc commiseris, discretionis arbitrium sumministrent; absoluendi quoque per te vel per alium seu alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, a voto crucis omnes crucesignatos hactenus in subsidium terre predicte, et cruce signandes deinceps, qui propter suorum infirmitatem aut debilitatem corporum inhabiles vel impotentes fuerint ad pugnandum vel transfretandum se in ipsius terre succursum, dummodo secundum proprias facultates velint redimere vota sua; commutandi quoque per te vel per alium seu alios in huiusmodi votum crucis vota peregrinationis et abstinentie illorum, qui pro dicto subsidio signum crucis assumpserint; et dispensandi cum quinquaginta clericis eiusdem Regni defectum natalium patientibus, dummodo non sint de adulterio vel incestu, aut de regularibus procreati, nec paterne incontinentie imitatores, sed bone conversationis et vite, aliasque eis merita suffragentur, ad dispensationis gratiam obtinendam, qui signo crucis assumpto transfretaverint personaliter in dicte terre subsidium, vel illuc bellatores ydoneos destinaverint, aut alias partem de bonis suis predicto subsidio congrue iuxta tue discretionis arbitrium ministrabunt, quod quilibet eorum huiusmodi non obstante defectu possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum: absolvendi insuper durante commisso tibi huiusmodi crucis negotio per te, vel per alium seu alios ydoneos, iuxta formam Ecclesie omnes illos, quos pro violenta iniectione manuum in viros religiosos et clericos seculares, vel etiam pro incendio incidisse compereris in canonem sententie promulgate, dummodo iniurias et dampna passis satisfaciant competenter, et non sit adeo gravis et enormis excessus, quod propter hoc sit merito Sedes Apostolica requirenda, ac de mandato tuo vel illorum, quos ad hoc duxeris deputandos, signum crucis receperint in subsidium dicte

terre ituri personaliter, vel missuri illuc ydoneos bellatores, aut alias partem de bonis suis congrue iuxta tue et illorum, quibus hoc commiseris, pro huiusmodi subsidio discretionis arbitrium ministrabunt; et dispensandi cum clericis huiusmodi ligatis sententiis, qui se immiscuere Divinis, ac iniungendi eis penitentiam salutarem: absolvendi etiam ab excommunicationis vinculo iuxta formam Ecclesie illos, qui pro violenta iniectione manuum, et incendiis in promulgate sententie canonem inciderunt, et pro quorum gravi et enormi excessu Sedes foret merito requirenda predicta, dummodo iniurias et dampna passis satisfaciant competenter, et tales crucis assumpto signaculo ad mandatum tuum in subsidium dicte terre se duxerint personaliter transferendos, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Nichilominus concedentes, ut clerici et laici Regni predicti crucesignati et crucesignandi, decimas non Ecclesiarum ratione pacifice detinentes, fructus earum perceptos hactenus in dicte terre subsidium convertere valeant per se ipsos, vel tibi aut illis, quibus hoc specialiter commiseris, secura conscientia exhibere, liberumque sit tibi dimittendi per te, vel per alium seu alios, clericis et laicis eisdem quintam partem decimarum huiusmodi perceptarum hactenus, ita quod ad aliam restitutionem earum minime teneatur; sed exinde remaneant penitus absoluti, dummodo decimas easdem Ecclesiis, ad quas spectare noscuntur, duxerint libere in posterum dimittendas. Ceterum volumus, ut premissa omnia et singula exequi libere valeas, non obstante, si personis vel locis aut ordinibus aliquibus a memorata sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, plenam et expressam ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, seu litteris ab eadem Sede obtentis vel in posterum obtinendis, per que predicta impediri, vel differi valeant, et de quibus seu quorum totis tenoribus mentionem fieri oporteat in nostris litteris specialem, et constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Datum apud Urbem Veterem V. Nonas Octobris. (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 246. l.)

37.

IV. Orbán pápa más határozata ugyanazon ügyben. 1263.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. De summis celorum Dominus terram sue nativitatis et passionis aspiciens, dum per singulos dies in illa variis provocatur iniuriis, nec exurgit populus, quem ipse redemit, ad vindicandum crucis obprobrium, ex eo percipue non immerito addi ad dolorem suorum vulnerum reputat, quod locus ille sanctissimus, in quo ipsum celi Regem virgo puerpera genuit, continue vexationis lassatur angustiis et successivis dessidiis laceratur, nunc in illum Sarracenica furente sevitia; nunc in eundem furoris immanitate Tartarici sexui vel etati parcere nescia seviente. Ad hoc enim precipue filiorum lucis intentio tendere, circa id debent eorum assidue revolvi precordia, et sollicitudo versari, ut illius terre, quam in hereditatem sibi Dei filius preelegit, abhominationes expiare conentur, et potenti manu resistere polluentibus ipsam filiis tenebrarum. Hec profecto dissimulari non debent, vel obtusis auribus preteriri, ne redemptor noster cuncta providens, falli nescius, ingratitudinis vitio redemptos laborare comperiens, ab eis faciem iratus avertat, eosque velut indignos paterna gratia derelinquat. Non sint igitur filii devotionis immemores, quod ipse Christus in terra illa in forma servi carnem nostre mortalitatis indutus, crucis non metuit subire tormentum, ut mortem nostram moriendo destrueret, et vitam resurgendo fidelibus repararet. Quesumus, diligenter attendant, qualiter illa miserabilis regio depressa iacet, diris angustiata flagellis, quodque in eam pestis Tartarica supervenit, cuius tanto potius nimirum futuri vicinique formidantar incursus, quanto gravius ille sevus et dampnabilis Tartarorum populus terram, quam sue subicit servituti, intolerabilibus exactionibus opprimens, sic illius incolas torquet immaniter et affligit,

quod degentes sub corum tyrampnide libentius metas mortis eligerent, quam sic vivendo tanta subire genera tormentorum. Exurgant itaque fidei zelatores ad defensionem dicte regionis, eiusdem redemptoris martyrio consecrate, nec ad id tepescant eorum animi, sed ferventibus desideriis accendantur. Hoc enim ipse Dei filius inter cetera sollicitudinis humane servitia gratissimum reputat, et ob id illa rependit premia, que principaliter affectare debemus et petere, dum in valle positi presentis miserie, indulta nobis excurrimus tempora servitutis. Cum igitur de te, quem habere credimus timorem Domini et amorem, quique multiplicibus donis virtutum preditus, laudabiliter scis et vales proficere, ubi labores impendis, magnam in Domino fiduciam habeamus, sperantes, ut in prosecutione presentis negotii constanter militans, illud efficacibus studiis et plenis debeas affectibus promovere, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus huiusmodi predicte terre statum Christi fidelibus in Regno Ungarie per te, vel per alium seu alios Ecclesiarum Prelatos et clericos, religiosos et seculares, cuiuscumque dignitatis vel ordinis fuerint, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, diligenter exponens, eisque proponens sollicite verbum Crucis, ipsos iuxta datam tibi a Domino gratiam intentis inducas monitis, et sedulis predicationibus exhorteris, ut cogitantes prudenter, quantum nunc indigeat ipsorum prefata terra succursu, ad subventionem eius promptis intendant animis et viribus totis exurgant, crucisque suscepto signaculo, illuc spiritualibus armis et materialibus premuniti, de Divina quoque sperantes potentia, cum festinatione procedant. Et ut circa id eo libentius et animosius intendant, quo exinde dona spiritualia temporalibus proculdubio preferenda perceperint potiora; nos de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam Deus nobis, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit postestate, omnibus vere penitentibus et confessis, qui huiusmodi laborem in propriis personis subierint, et expensis, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultates et qualitates suas viros ydoneos de-

stinaverint; et illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius terre de bonis suis aliquam portionem, vel alias consilium et auxilium impenderint opportunum. Volumus etiam crucesignatos illo privilegio illaque immunitate gaudere, que in generali crucesignatorum indulgentia continetur. Ut autem commissum tibi huiusmodi ministerium facilius et utilius exequi valeas, tibi et predictis, quos in hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id quotiescumque et ubicumque videris expedire, cleros et populos locorum, in quibus te vel ipsos proponere contigerit verbum crucis, ut processionaliter cum devotione conveniant et predicationibus vestris intersint; Cleros eosdem ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi, ac pro eisdem predicationibus ferias, prout expedire videris, indicendi; concedendi quoque omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad easdem convocationes et predicationes vestras accesserint, centum dierum indulgentiam plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Non obstantibus, si aliquibus cuiuscumque ordinis vel dignitatis existant, quod interdici, suspendi vel excommunicari nequeant, a Sede Apostolica sit indultum, et quibuslibet indulgentiis, privilegiis seu litteris ab eadem Sede obtentis vel obtinendis, per que predicta impediri vel defraudari possint, et de quibus specialem oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Taliter igitur tu et alii, quibus huiusmodi predicationis officium duxeris committendum, mandatum Apostolicum super hoc exequi procuretis, quod palmam glorie, que bellum Dei gerentibus in retributionem ab ipso impenditur, vestra devotio consequi mereatur. Datum apud UrbemVeterem IIII. Nonas Octobris (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 249. l.)

38.

IV. Orbán pápa a keresztes hadra menőket apostoli székének pártfogása alá veszi. 1263.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Volentes omnes crucesignatos et crucesignandos in Regno Ungarie pro subsidio terre sancte singularis privilegii prerogativa gaudere, crucesignatis et crucesignandis huiusmodi, ut per litteras Apostolice Sedis vel Legatorum eius impetratas hactenus, quarum non sit auctoritate processum, et impetrandas in posterum, nisi dicte Sedis littere impetrande plenam et expressam fecerint de presentibus mentionem, extra Dioceses, in quibus ipsi et eorum bona consistunt, in causam trahi vel ad judicium evocari non possint, dummodo parati sint coram eorum ordinariis de se querelantibus exhibere iustitie complementum, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum apud Urbem Veterem X. Kal. Novembris (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 250. l.)

39.

IV. Orbán pápa Magyarország főpapjait felszólítja, hogy a keresztes hadjárat előkészitésében az esztergami érseket segitsék. 1263.

Urbanus Episcopus etc. venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis ceteris Ecclesiarum

Prelatis per Ungariam constitutis, salutem etc. Terram sanctam, quam unigenitus Dei filius, dominus Jesus Christus in proprium sibi patrimonium et hereditatem elegit, conspicientes feritate diversorum infidelium immaniter lacerari, vias et modos desideranter exquirimus, quibus eidem terre possint opportuna presidia nostro ministerio provenire. Quare de venerabili fratre nostro. . . . Archiepiscopo Strigoniensi, quem Dei timorem habere credimus et amorem, quique multiplicibus donis virtutum preditus, utiliter scit et valet, ubi labores impendit, plenam in Domino fiduciam obtinentes, predicationem crucis predicte terre subsidio in Regno Ungarie sibi per nostras litteras sub certa forma duximus committendam : cupientes ut negotium ipsum in manibus eius eo plenius Divina clementia faciente proficiat, quo magis insidet cordi nostro, et quo maiorem necessitatem ad presens eidem terre novimus imminere. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente, vobis nichilominus in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus prefato Archiepiscopo et aliis, quos in hoc ipse cooperatores elegerit, circa ipsius negotii prosecutionem ferventer assistere studeatis, habentes ipsum Archiepiscopum, immo potius nos in ipso, tamquam nobis intimum in eiusdem prosecutionem negotii favorabiliter in Domino commendatum; ita quod devotionem vestram commendare cum gratiarum actionibus merito valeamus, ac nichilominus exinde Divine retributionis vobis proveniat incrementum. Datum apud Urbem Veterem X. Kal. Novembris (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 251. l.)

40.

IV. Orbán pápa az esztergami érseknek meghagyja, hogy Bessenyő (Bissenus) Mátyás mestert, veszprém megyebéli papot, egyházi javadalom elnyerésében segitse. 1263.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Apostolice benignitatis affectum potissime circa illos debemus exponere, de quibus evidentie claritas innuit, quod sint digni speciali gratia et honore. Sane dilectus filius Magister Mathias Bissenus Clericus Vesprimiensis Diocesis, doctor nepotum venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Penestrini, morum et scientie noscitur iuvari meritis, ut apud nos invenisse gaudeat favoris gratiam specialis. Hinc est, quod nos in ipso dictum Penestrinum Episcopum, qui eum nobis affectuosis precibus commendavit, honorare volentes, mandamus, quatenus prefato magistro in aliqua ecclesiarum Civitatis seu Diocesis, aut Provincie Strigoniensis Cathedrali, vel alia de prebenda seu beneficio ecclesiastico, etiam curam animarum habente, cuius proventus valorem annuum quindecim marcarum argenti attingant, si vacat ad presens, vel quamcito se facultas obtulerit, auctoritate nostra per te seu per alium providere procures, faciens eum in Ecclesia, in qua sibi provideri contigerit, ad prebendam vel beneficium huiusmodi, postquam sibi de ipso vacante provisum fuerit, in fratrem et in Canonicum recipi. Non obstante, si pro aliis in Ecclesia huiusmodi scripta nostra direximus, quibus eum volumus in assecutione huiusmodi prebende vel beneficii anteferri, sed quoad alia nullum preiudicium generari; aut si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli vel suspendi, aut interdici seu excommunicari non possint, et quod de beneficiis ad eorum collationem spectantibus nulli valeat provideri per ipsius Sedis litteras non facientes ple-

nam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, sive qualibet alia prefate Sedis indulgentia, de qua cuiusque toto tenore debeat in nostris litteris plena et expressa mentio fieri, et per quam effectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri; seu quod idem Magister non est constitutus in sacris ordinibus, ad quos quamcito prebendam vel beneficium ipsum pacifice adeptus fuerit, prout eius onus exiget, est, sicut asserit, promoveri paratus; aut quod super provisione ipsius venarabili fratri nostro. . . . Quinqueecclesiensi Episcopo litteras nostras direximus, per quas, ut asserit, nullum commodum assecutus, renunciavit ipsis et processibus habitis per easdam. Contradictores etc. Nos enim nichilominus irritum decernimus et inane, si de prebenda et beneficio huiusmodi Apostolica seu quavis auctoritate secus contigerit attemptari. Datum apud UrbemVeterem III. Idus Novembris, (Pontificatus nostri) anno III.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 251. l.)

41.

IV. Orbán pápa az esztergami érseket felszólítja, hogy gondoskodjék, mikép az aquinoi püspöknek a neki Magyarországban oda rendelt jövedelem kifizettessék. 1263.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Cum nos dilecto fili nostro R. Sancti Angeli Diacono Cardinali sub certa forma nostris dederimus litteris in mandatis, ut venerabili fratri nostro . . . Episcopo Aquinati, qui ab Ecelesia sua per inimicos Romane Ecclesie fugatus experiri cogitur insolita incommoda paupertatis, pro se et quinque personis ac tribus equitaturis provisionem congruam iuxta sue dispositionis arbitrium ab Ecclesiis et monasteriis Ungarie exemptis et non exemptis, Cister-

ciensis et Sancti Damiani Ordinum dumtaxat exceptis, usque ad triennium per se vel alium faceret assignari, ac idem Cardinalis in tua provincia in centum et quinquaginta libris Turonensibus de speciali mandato nostro, vive vocis oraculo sibi facto, ab Ecclesiis ac monasteriis in eadem provincia constitutis usque ad triennium annis singulis ordinaverit dicto Episcopo provideri, descernens dictas centum et quinquaginta libras per te iuxta singulorum locorum facultates taxandas, et eisdem ecclesiis ac monasteriis proportionaliter imponendas, prout in eiusdem Cardinalis litteris plenius dicitur contineri: nos ipsius Episcopi supplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardinale super hoc factum est, ratum et firmum habentes, fraternitati tue per Apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus predictas centum et quinquaginta libras prefatis ecclesiis et monasteriis per te vel alium iuxta statutum et ordinationem Cardinalis predicti imponens ac colligi faciens, eas predicto Episcopo vel eius nuncio pro ipso facias assignari. Contradictores etc. Non obstante, si aliquibus a Sede Apostolica indultum existat, quod suspendi, excommunicari vel interdici non possint per litteras sedis eiusdem non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, vel qualibet alia indulgentia sedis predicte, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua cuiusque tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum apud Urbem Veterem XV. Kal. Decembris. Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 252. l.)

42.

IV. Orbán pápa Mária magyar királyné számára megerősiti Posega várnak IV. Béla király általi adományát. 1263.

Urbanus Episcopus etc. carissime in Christo filie Marie Illustri Regine Ungarie salutem etc. Justa desideria tue Celsitudinis, que per Dei gratiam vigilanter insistere dicitur operibus pietatis, auditu benigno suscipere et promptis delectamur affectibus adimplere. Sane tua et carissimi in Christo filii nostri B(ele) Illustris Regis Ungarie, viri tui, petitio nobis exhibita continebat: Quod cum idem Rex et tu ac multi nobiles Regni Ungarie propter timorem de Tartarica feritate conceptum ad loca maritima transitum fecissetis, tu iamdictis nobilibus positis in gravi necessitate compatiens, pro sustentatione ipsorum de tuis parafernalibus bonis non modicam expendisti pecunie quantitatem; demum vero idem Rex huiusmodi pietatis opus clementer attendens, Castrum de Possega ad eum pertinens in Ducatu Sclavonie constitutum, accedente demum ad id consensu carissimi in Christi filii nostri Stephani Regis Illustris primogeniti, ac nobilis viri Bele Ducis Sclavonie nati tuorum, necnon Prelatorum et Baronum supradicti Regni, tibi Regia liberalitate donavit, prout in patentibus litteris Regis eiusdem confectis exinde plenius dicitur contineri. Quare pro ipsius Regis et tua parte petebatur a nobis, ut donationem huiusmodi non obstantibus constitutionibus contrariis, que inter virum et uxorem donationes fieri prohibent, Apostolico curaremus munimine roborare. Nos itaque considerantes attente ius prohibite donationis huiusmodi non amare, nec tamquam inter infestos fore tractandum, sed tamquam inter maximo coniunctos affectu et solam timentes inopiam, quod profecto ad donatoris et donatarie magnificentiam respectu habito locum sibi non vendicat in hoc casu, donationem ipsam, sicut alias provide facta est, ratam et firmam habentes, eam non obstantibus

huiusmodi constitutionibus auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum apud Urbem Veterem XII. Kal. Januarii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 254. l.)

43.

IV. Orbán megerősíti Béla szlavoniai herczeg számára IV. Béla királynak az ország több határvárát tárgyazó adományát. 1263.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio nobili viro B(ele) Duci Sclavonie, salutem etc. Pro fidei meritis, qua per Christi rutilare gratiam comprobaris, te libenter speciali favore prosequimur, et que tibi prosperitatem adiciant, liberaliter elargimur; firma credulitate tenentes, quod quanto gratiam grandiorem ab Apostolica Sede perceperis, tanto ei ferventiori studio te oportuno tempore studebis devotum per effectum operis exhibere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod carissimus in Christo filius noster B(ela) Rex Ungarie Illustris, pater tuus, diligenter attendens, quod de Nitria, de Posonio, de Musum et de Suprunio, castra Regni Ungarie in confinio eius sita, eidem Regno, si ea, quod absit, ad hostes pervenirent ipsius, gravia dispendia imminerent, et quod eadem castra per te utilius possent, quam per alium gubernari, ea tibi Regia liberalitate donavit, prout in patentibus litteris dicti Regis confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis et prefati Regis supplicationibus inclinati, donationem huiusmodi sicut provide facta est, ratam et firmam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

nostre confirmationis etc. Datum apud Urbem Veterum XII. Kal. Januarii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 254. l. V. ö. Fejér Cod. Dipl. VII. k. 5. r. 389. l.)

44.

IV. Orbán pápa Béla szlavoniai herczeget birtokával együtt az apostoli szék pártfogása alá veszi. 1263.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio nobili viro B(ele) duci Sclavonie, salutem etc. Pro fidei meritis, qua per Christi rutilare gratiam comprobaris, te libenter speciali favore prosequimur, et que tibi prosperitatem adiciant, liberaliter elargimur, firma credulitate tenentes, quod quanto gratiam grandiorem ab Apostolica Sede perceperis, tanto ei ferventiori studio et oportuno tempore studebis devotum per effectum operis exhibere. Hinc est, quod nos tuis et carissimi in Christo filii nostri B(ele) Ungarie Regis Illustris, patris tui, supplicationibus inclinati, personam tuam cum Ducatu Sclavonie ac de Olcha, de Bragna, Symigio, Sala et Ferreo Castris, nec non salibus aquaticis ad Ducatum ipsum spectantibus, aliisque iuribus et pertinentiis suis, que impresentiarum rationabiliter te obtinere proponis, sub protectione Apostolice Sedis et nostra suscipimus, districtius inhibentes, ne quis te persistentem in devotione sedis eiusdem super Ducatu, Castris et aliis supradictis temere impedire seu molestare presumat. Nulli ergo etc. nostre protectionis et exhibitionis etc. Datum apud Urbem Veterem XII. Kal. Januarii. Pentificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 255. l.)

45.

István prenestei bibornokpüspök mint választott birónak a soproni esperestségre vonatkozó itélete. 1263.

In nomine Domini Amen. Orta dudum inter magistrum Ireneum Canonicum Jauriensem ex una parte, et venerabilem patrem dominum Episcopum Jauriensem ac magistrum Petrum Canonicum Jauriensem, nepotem et procuratorem ipsius Episcopi ex altera, super Archidiaconatu Supruniensi et occasione ipsius, quem idem magister Ireneus sibi collatum auctoritate Apostolica per venerabilem patrem . . . Archiepiscopum Colocensem canonice asserebat, materia questionis, et ea per appellationem ad Sedem Apostolicam devoluta, et coram reverendo patre domino G. Sancti Georgii ad Velum Aureum Diacono Cardinali, a domino Papa dato partibus Auditore, libellis hinc inde porrectis, placuit partibus, quod nos Stephanus miseratione Divina Penestrinus Episcopus inter eas componere deberemus. Quod ut efficacius fieret, obtinuimus specialiter super hoc a Sanctissimo patre domino nostro U(rbano) Papa IV. vive vocis oraculo plenam auctoritatem et liberam potestatem. Predictis itaque Ireneo et Petro in nostra presentia constitutis, et eodem Petro litteras prefati domini Episcopi Jauriensis suoque sigillo signatas in judicio exhibente, in quibus inter alia cont tinetur, quod in questione hujusmodi dictus Episcopus daeidem Petro transigendi, componendi et compromittendi speciale mandatum et liberam potestatem, prout in ipsis plenius continetur. Idem Petrus tam pro se ipso, quam nomine dicti mandati specialis, quod super hoc habebat, ex parte una; et dictus magister Ireneus pro se ipso ex altera, super huiusmodi questione sponte, libere ac absolute compromiserunt in nos sub pena ducentarum marcarum argenti, prout apparet

in instrumento publico confecto per infra scriptum notarium evidenter. Postmodum vero dictus Ireneus eidem Petro coram nobis libellos exhibuit in hac forma.

Coram vobis domino S. Dei gratia Episcopo Prenestino, arbitro a partibus concorditer electo, proponit magister Ireneus, Archidiaconus Supruniensis in Ecclesia Jauriensi, contra magistrum Petrum nepotem Domini ... Jauriensis Episcopi, qui se gerit pro Archidiacono Supruniensi: quod cum dictus Archidiaconatus vacans per mortem quondam magistri Sauli, qui Archidiaconatum ipsum obtinuerat in dicta Ecclesia Jauriensi, auctoritate Apostolica canonice sibi sit collatus cum Capellis et omnibus iuribus, sicut idem magister Saulus tenuerat, licet decretum fuisset per dominum Papam irritum et inane, si quid fieret contra mandatum Apostolicum pro ipso magistro Ireneo directum, super providendo sibi in dicta Ecclesia de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, dignitate vel personatu, si tunc vacabat in Ecclesia Jauriensi, vel primo proximo vacatura, et prohibitio ac publicatio hujusmodi auctoritatis processisset in dicta Ecclesia Jauriensi; prefatus tamen magister Petrus Archidiaconatum ipsum temere postmodum procuravit sibi conferri, ipsumque occupavit et detinet occupatum in ipsius magistri Irenei preiudicium et gravamen. Quare petit predictum Archidiaconatum cum iuribus et pertinentiis suis et omnibus capellis, sicut prefatus magister Saulus tenuit, sibi per vos sententialiter adiudicari, et per vestram sententiam declarari ad ipsum Ireneum de iure spectare, cum fructibus et proventibus perceptis, et qui percipi potuerunt a tempore collationis predicte, et eundem P. condempnari sibi ad restitutionem omnium predictorum cum dampnis, expensis et interesse, que extimat CC. marcas argenti, et se vel procuratorem eius ipsius nomine in eiusdem Archidiaconatus possessionem induci, et defendi inductum, ipsique magistro Petro super hiis perpetuum imponi silentium, cum nullum ius habeat in eodem, petit expensas factas et protestatur faciendas, salvo iure etc.

Coram vobis domino S. Episcopo Prenestino, arbitro de consensu partium electo, et etiam de domini Pape mandato viva voce dato, proponit magister Ireneus Canonicus Jauriensis, Capellanus vester, contra dominum Episcopum

Jauriensem seu eius legitimum procuratorem, dicens: quod licet Archidiaconatus Supruniensis, qui per mortem magistri Sauli vacavit, cum capellis et aliis suis iuribus et pertinentiis, sicut idem magister Saulus tenuerat, eidem magistro Ireneo canonice sit collatus auctoritate Apostolica; tamen dictus Episcopus de facto, licet de iure non posset, in elusionem mandati Apostolici prefatum Archidiaconatum Supruniensem Petro et Paulo nepotibus suis, capellas vero Hectori suo clerico et Custodi Ecclesie Jauriensis, ut dicitur, contulit in grave dampnum et preiudicium magistri Irenei predicti, propter quod idem magister Ireneus ad Sedem Apostolicam legitime appellavit: unde petit collationem predictam, que dicitur esse facta per dictum Episcopum dictis suis nepotibus et clerico, ac processum per eundem Episcopum super hoc habitum irritari, cassari, cassum, nullum et irritum nuntiari. Item petit dictum Episcopum sibi in dampnis et expensis factis et interesse occasione predictorum, que omnia extimat centum marcas argenti, condempnari, et expensas faciendas protestatur salvo iure etc. Item petit contra eundem Episcopum dicens, quod dominus Colocensis Archiepiscopus dictum Episcopum excommunicavit et excommunicatum publice nunciavit auctoritate Apostolica, pro eo quod impedivit, turbavit et molestavit, et se minus iuste opposuit dicto magistro Ireneo super Archidiaconatu predicto et capellis; sed dictus Episcopus Jauriensis excommunicationem bibens ut aquam, Divina celebrare, immo prophanare presumpsit, et presumit in anime sue periculum et scandalum plurimorum: unde petit predictam excommunicationis sententiam aggravari in eundem Episcopum, et suspendi ab administratione spiritualium et temporalium usque ad satisfactionem condignam, et eundem Episcopum canonica pena puniri, salvo iure etc.

Lite igitur super eisdem libellis legitime contestata coram nobis, exhibitis hinc inde ac inspectis processibus, actis, munimentis et rationibus coram nobis, et auditis, que eedem partes dicere ac proponere voluerunt, consideratis, que ad pacem, tranquillitatem et bonum statum utriusque partis provenirent, taliter inter easdem partes in scriptis sententialiter ordinamus, arbitramur, laudamus, componimus, pronunciamus, precipimus et mandamus. In primis videlicet

prefatos dominum Episcopum Jauriensem et Petrum ab impetitione ipsius Magistri Irenei super dicto Archidiaconatu Supruniensi sententialiter absolvimus, et decernimus absolutos, mandantes et ordinantes auctoritate predicta, quod idem Episcopus magistro Ireneo predicto de dignitate, vel personatu cum cura vel sine cura, que vel qui in Ecclesia Jauriensi vacat ad presens, vel proximo vacare contigerit post Prepo- situram Ecclesie Cathedralis, de qua dictus Episcopus, nisi velit providere, non teneatur, eidem provideat et providere sub pena in compromisso apposita teneatur; hoc adiecto, quod si huiusmodi dignitas vel personatus viginti quinque marcas argenti annui redditus vel ultra valeret, idem Episcopus de ipsa dignitate vel personatu eidem magistro Ireneo provideat et providere sub pena huiusmodi teneatur: si vero minus valerent redditus eiusdem dignitatis vel personatus, idem dominus Episcopus illud quod minus valeret, adimplere ac providere usque ad predictam summam viginti quinque marcarum argenti dicto magistro Ireneo, de capellis et redditibus capellarum ad suam collationem spectantium, teneatur et adimpleat, et provideat cum effectu, proventibus et fructibus prebende et capellarum, quas idem magister Ireneus in Ecclesia Jauriensi obtinet in dicta summa viginti quinque marcarum minime computandis. Quam provisionem dicto magistro Ireneo faciendam iuxta modum predictum, si prefatus Episcopus, cum se facultas obtulerit, noluerit vel neglexerit facere ac implere, nos dignitatem seu personatum et capellas hujusmodi collationi Sedis Apostolice per nos eidem magistro Ireneo, vel per alium seu alios faciende iuxta predictum modum auctoritate huiusmodi reservamus; decernentes ex nunc auctoritate predicta irritum et inane, si secus de dignitate vel personatu et capellis huiusmodi quavis auctoritate contigerit attemptari. Si vero ad presens eidem magistro Ireneo dictus Episcopus de dignitate vel personatu et capellis huiusmodi iuxta predictum modum cum effectu providere non posset, idem Episcopus et Petrus predictus, vel eorum alter insolidum singulis annis eidem magistro Ireneo, seu nuncio vel procuratori suo eius nomine ac pro ipso quindecim marcas boni argenti ad pondus Ungarie integraliter solvant, et solvere sub pena huiusmodi teneantur in

festo Resurrectionis Dominice coram Conventu Monasterii Sancti Martini de Pannonia, quousque iuxta predictum modum eidem magistro Ireneo in Ecclesia Jauriensi de dignitate vel personatu, aut capellis huiusmodi predicti valoris viginti quinque marcarum argenti provideatur cum effectu. Qua provisione viginti quinque marcarum iuxta predictum modum facta magistro Ireneo prefato, et ipsius provisionis pacifica per dictum magistrum Ireneum possessione adepta, iidem dominus Episcopus et Petrus extunc a dicta pensione XV marcarum sint penitus absoluti; sed antequam ei sic in totum cum effectu provisum fuerit, et possessionem pacificam habuerit, dictas XV marcas persolvant ei annuatim, ut dictum est superius, et persolvere teneantur. Si vero prefatum dominum Episcopum debitum nature persolvere, vel ad aliam Ecclesiam transferri contingat, antequam dicto magistro Ireneo in dicta Ecclesia Jauriensi taliter sit provisum, idem magister Petrus de fructibus et proventibus ipsius Archidiaconatus dictas XV marcas argenti ad idem pondus in festo Resurrectionis predicto eidem magistro Ireneo, nuncio vel procuratori suo eius nomine integre persolvat, et solvere sub pena huiusmodi teneatur, quousque iuxta modum predictum provideatur eidem, ut dictum est superius, cum effectu. Et hec omnia et singula sub pena et forma in compromisso apposita fieri, adimpleri et observari plenarie arbitrando precipimus et laudamus. Actum et pronunciatum apud Urbem Veterum in hospitio nostro; presentibus dictis Ireneo et Petro, et hiis testibus: Venerabili patre domino A. Dei gratia Episcopo Urgellensi, magistro Thimoteo Electo Zagrabiensi, magistro M. Decano Burgensi Electo Tholetano, et magistro Guilhelmo Preposito Sancti Antonini Placentini, et magistro V. Priore, Ortano Camerario nostro, Capellanis domini Pape, Thomasino Notario, Jacobino clerico, familiaribus nostris, et pluribus aliis testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Anno Domini MCCLXIII., Pontificatus domini Urbani Pape IIII. anno tertio, Indictione VI., die VII. intrantis Decembris.

In cuius rei testimonium presens publicum instrumenmet fieri fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Et ego Anlugus de Palliano, Sancte Romane Ecclesie Scriniarius,

predictis interfui et ea de mandato eiusdem domini Cardinalis subscripsi, et rogatus deliter publicavi.

(IV. Orbán pápa 1264-ki megerősitő bullájából, mint alább 50. sz. a.)

46.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy több birtokosok földeiket a pannonhalmi apátságnak eladták. 1263.

Capitulum Jauriensis Ecclesie omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit salutem in Domino sempiternam, Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod constituti coram nobis Georgius filius Mychedeue. Benedictus filius Andree, et Thomas filius Bene presentibus et non contradicentibus cognatis et commetaneis suis, Kuup videlicet, Akur filio eiusdem, et Georgio filio Martini, proposuerunt asserentes, quod idem Georgius terram suam empticiam ad usum unius aratri sufficientem, Benedictus vero et Thomas memorati terram ipsorum hereditariam ad usum duorum aratrorum sufficientem Kusdeuch (vagy Kis-Dench) vocatam sitam iuxta terram Pothuorch, Ecclesie et Abbati Sancti Martini de Pannonia pro duodecim marcis argenti ab eodem Abbate coram nobis plenarie acceptis uendidissent iure perpetuo possidendas; ita tamen, quod si Abbas prefatus racione terrarum predictarum per quempiam molestaretur, Georgius, Benedictus et Thomas memorati ipsum expedire et defendere tenebuntur. Vt igitur huius rei series robur perpetue firmitatis obtineat, presentes litteras concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Anno ab Incarnacione Domini M°CC°LX, tercio Magistro Demetrio Lectore Ecclesie nostre existente.

(Eredetie a szent-mártoni főapátság levéltárában.)

47.

A nyitrai káptalan bizonyságlevele, hogy Endere gróf és testvérei Proryuchi birtokukat Rennaldnak elzálogositották. 1263.

Capitulum Nitriensis Ecclesie omnibus ad quos presentes littere peruenerint salutem in Domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum Comes Endere, et Beche filii Pomnen, presente et consenciente Bychen, fratre ipsorum, terram ad usum unius aratri sufficientem, secundum mensuram Regni consueratam (igy), separatam per metas, de terra Proryuch, quondam fratris eorum, in territorio uille Endered existentem, iuxta fluuium Leuna, a parte terre Rennaldy, filii Rennaldy, eidem Rennaldo pro tribus marcis argenti, usque ad festum Sancti Martini coram nobis pignori obligassent, tali modo, quod si ipso termino Endere et Beche, ac Bychen, terram suam redimere non possent, ipsa terra, pro eisdem tribus marcis, in ius et proprietatem Rennaldy supradicti deuolueretur, iure perpetuo possidenda. Adueniente ipso termino Beche et Bychen terram suam redimere nolentes, Endere fratri ipsorum reliquerunt redimendam, qui, quia assumpto termino, uidelicet uigilia Sancti Andree, dictam terram redimere non potuit, Rennaldo superius memorato, acceptis quatuor marcis et dimidia, una cum tribus marcis, pro quibus ipsa terra fuerat obligata, ex consensu et uoluntate Bychen et Beche predictorum, per modum uendicionis, reliquit, iure porpetuo possidendam, ita tamen, quod si Rennaldus prefatus racione terre predicte per aliquos molestaretur, Endere memoratus ipsum tenebitur expedire. In cuius rei memoriam pleniorem presentes litteras concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Anno ab Incarnacione Domini M°CC°LX° tercio. Magistro Demetrio Lectore Ecclesie nostre existente.

(Eredetie bőrhártyán, szél. 8$^{3}/_{4}$ dec. hüv., mag. 5$^{1}/_{2}$ dh., melyen a káptalan függő pecsétje még megvan, Ondrejovits László úr levéltárában. Közli *Ifj. Kubinyi Ferencz* úr.)

48.

Leustách özvegye a sághi konvent előtt bevallja azon Usud részbirtokot, mely iránt már férje Istvánnal és Victorral lépett egyességre. 1263.

A. B. C. D. E.

Lucas Divina miseracione Prepositus et Conventus Ordinis Premonstratensium Ecclesie de Saag omnibus Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam. Prudens antiquitas adinvenit, res gestas fideli literarum testimonio commendare, ne in posterum nubilo oblivionis permittantur obfuscari. Ad noticiam igitur vniuersorum harum serie volumus pervenire, quod constituta coram nobis relicta Leustachij filij Bwgud cum filio suo Bugud vocato confessa est, maritum suum Leustachium vendidisse terram ad unum aratrum sufficientem de porcione sua in villa Vsud, consencientibus suis cognatis, videlicet Petro, Bogislao et Endech in nostri presencia, Stephano et Ictori perpetuo possidendam, qui ab antiquis temporibus in eadem villa Vsud residebant, et quinque marcas pro dicta terra Leustachium maritum in vita corporali plenarie accepisse a Stephano et Ictore supradictis, nondum tamen dictam terram metis vel terminibus (igy) disjunctam, sed quandocunque divisio terre in villa Vsud inter generaciones ordinata fuerit, dicta domina et filius suus Bugud, tenentur cum utili sessione mansionis et feneti iuxta quantitatem valoris terre unius aratri, curiculo (vel: circulo) metarum distinguere. Hoc interposito, quod quandocunque processu temporis placeret Stephano et I(ctori) terram dictam vendicioni exponere, pro tantisdem quinque marcis nominato Bugud vendere tenebuntur. Vt autem huius rey series robur optineat perpetuum, presentem paginam, sigilli nostri munimine fecimus roborari, Anno Domini M^o^CC^o^ sexagesimo tercio.

(Bőrhártyán kelt metszett levél. Másolta Horvát István. *Érdy.*)

49.

IV. Béla király Ujhelyben és Potworchban fekvő földeket Favus pannonhalmi apátnak itéli oda. 1264.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus tam presentibus quam futuris litteras presentes inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum Buthk filius Budicha, et Mortunus, ac alii cognati sui a villis monasterii Sancti Martini Vyhel et Potworch nuncupatis, intra metas earundem villarum terram quindecim aratrorum repeterent coram nobis, fuissetque super hoc inter partes diucius disceptatum; tamen quia auditis proposicionibus parcium inuenimus illam terram olim fuisse apud Comitem Ivankam filium Damana, et apud Reginam karissimam consortem nostram; postmodum habito consilio Baronum nostrorum qui in judicio nobiscum assedebant (igy), eo quod idem Buthke et cognati sui priuilegium suum super quantitate ipsius terre nequiuerunt exhibere coram nobis, racione preuia decreuimus, quod Fauus venerabilis Abbas dicti monasterii cum vno fratre suo et cum duobus nobilibus de viciniis seu comprouincialibus in octauis Beate Lucie Virginis coram Capitulo Nitriensi, super eo, quod dicta terra quindecim aratrorum fuerit villarum Vyhel et Pothworch prefatarum, prestare debeat sacramentum. Verum quia adueniente termino ipsius sacramenti dicto Abbate cum vno fratre suo et duobus nobilibus parato ad prestandum sacramentum, prout per nos judicatum fuerat, prememoratus Buthk cum suis cognatis supradictis juramentum ipsius Abbatis et sociorum suorum non recepit, sicut in tenore litterarum iam dicti Capituli Nitriensis vidimus contineri, sentenciando decreuimus, ipsam eandem terram sepe dictis villis Vyhel et Pothworch perpetuo possidendam remanere. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes dedimus litteras

duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasii Electi Albensis aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini M°CC° sexagesimo quarto Regni autem nostri anno vicesimo nono.

(Eredetie a szentmártoni főapátság levéltárában.)

50.

IV. Orbán pápa István prenestei bibornok-püspöknek a soproni esperestség ügyében hozott itéletét erősiti meg. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio magistro Ireneo Canonico Jauriensi salutem etc. Ea que judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata consistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit presidio communiri. Eapropter etc. communimus. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod cum nos in causa, que inter te ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum .. Episcopum et magistrum Petrum, nepotem et procuratorem ejus, Canonicum Jaurienses, super vacante Archidiaconatu Supruniensi in Ecclesia Jauriensi, ad collationem ipsius Episcopi pertinente, in quo tu et dictus magister vos jus dicebatis habere, ex altera orta exstitit, per appellationem tuam ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, dilectum filium nostrum G. Sancti Georgii ad Velum Aureum Diaconum Cardinalem dedissemus partibus Auditorem, libellis tandem coram eo hinc inde porrectis, partibus placuit, quod venerabilis frater noster S(tephanus) Prenestinus Episcopus componeret inter eas, qui a nobis super hoc vive vocis oraculo plenam auctoritatem obtinuit et liberam potestatem. Te itaque ac eodem magistro Petro in ejusdem Episcopi Prenestini presentia constitutis, idem Petrus tam pro se quam pro dicto Episcopo Jauriensi, a quo transigendi, componendi et compromittendi speciale mandatum et liberam potestatem habe-

bat, nec non et tu pro te super huiusmodi questione sponte, libere ac absolute in prefatum Episcopum Penestrinum compromittere curavistis. Postmodum vero lite super libellis pro tua parte coram jam dicto Episcopo Prenestino porrectis legitime contestata, Episcopus ipse, inspectis processibus, actis, munimentis, et rationibus coram eo exhibitis, nec non auditis, que partes dicere ac proponere voluerunt, consideratis etiam que ad pacem, tranquillitatem et bonum statum utriusque partis facerent, supradictos Episcopum Jauriensem et magistrum Petrum ab impetitione tua super eodem Archidiaconatu Supruniensi sententialiter absolvit et absolutos esse decrevit. Supradicta quoque auctoritate nostra super provisione tibi facienda de dignitate vel personatu cum cura vel sine cura, que vel qui in Jauriensi Ecclesia tunc vacabat vel primo vacaret, ac de capellis et redditibus capellarum ad collacionem ipsius Episcopi pertinentium usque ad certum annuum valorem quamdam ordinationem te ac dicto magistro Petro presentibus edidit, dignitatem seu personatum et capellas huiusmodi tibi conferendas Apostolice donacioni reservans, et decernens irritum et inane, si secus de hiis quavis auctoritate contigerit attemptari, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo ipsius Episcopi Prenestini signato plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, hujusmodi ordinationem, reservationem et decretum per eundem Episcopum edita, in hiis que te contingunt, rata et firma habentes, ea auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari: qui talis est.

In nomine Domini Amen. Orta dudum stb. (mint fenebb 45. sz. a)

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum apud Urbem Veterem IIII. nonas Januarii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 255. l.)

51.

IV. Orbán pápa a pannonhalmi apátnak meghagyja, hogy az a soproni esperestség ügyében hozott itéletet végrehajtsa. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio . . . Abbati Sancti Martini de Pannonia Ordinis Sancti Benedicti, Jauriensis Diocesis, salutem etc. Exhibita nobis dilecti filii magistri Irenei Canonici Jauriensis petitio continebat: quod cum nos in causa, que inter ipsum ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum . . . Episcopum ac magistrum Petrum, nepotem et procuratorem eius, Canonicum Jaurienses, super vacante Archidiaconatu Supruniensi in Ecclesia Jauriensi, ad collationem ipsius Episcopi pertinente, in quo is et dictus magister se ius dicebant habere, ex altera orta extitit, per appellationem suam ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, dilectum filium nostrum G. Sancti Georgii ad Velum Aureum Diaconum Cardinalem dedissemus partibus auditorem; libellis tandem coram eo hinc inde porrectis, partibus placuit, quod venerabilis frater noster S(tephanus) Prenestinus Episcopus componeret inter eas, qui a nobis super hoc vive vocis oraculo plenam auctoritatem obtinuit et liberam potestatem. Eo itaque, ac eodem magistro Petro in ejusdem Episcopi Prenestini presentia constitutis, idem Petrus tam pro se quam pro dicto Episcopo Jauriensi, a quo transigendi, componendi, ac compromittendi speciale mandatum et liberam potestatem habebat, nec non et idem pro se super hujusmodi questione sponte, libere ac absolute in prefatum Episcopum Penestrinum compromittere curaverunt. Postmodum vero lite super libellis pro sua parte coram jamdicto Episcopo Prenestino porrectis legitime contestata, Episcopus ipse, inspectis processibus, actis, munimentis et rationibus coram eo exhibitis, nec non auditis, que partes dicere ac proponere voluerunt, consideratis etiam que ad pacem, tranquillitatem et bonum statum utriusque partis facerent, supra-

dictos Episcopum Jauriensem et magistrum Petrum ab impetitione sua super eodem Archidiaconatu Supruniensi sententialiter absolvit, et absolutos esse decrevit. Supradicta quoque auctoritate nostra super provisione sibi facienda de dignitate vel personatu cum cura, vel sine cura, que vel qui in Ecclesia Jauriensi tunc vacabat vel primo vacaret, ac de capellis vel redditibus capellarum ad collationem ipsius Episcopi pertinentium usque ad certum annuum valorem quandam ordinationem se ac dicto magistro Petro presentibus edidit, dignitatem seu personatum et capellas hujusmodi sibi conferendas Apostolicę donationi reservans, et decernens irritum et inane, si secus de hiis quavis auctoritate contigerit attemptari, prout in publico instrumento confecto exinde ac sigillo ipsius episcopi Prenestini signato plenius continetur. Nos itaque ipsius Irenei supplicationibus inclinati, huiusmodi ordinationem, reservationem et decretum per eundem Episcopum edita in hiis, que ipsum contingunt rata et firma habentes, eadem auctoritate Apostolica duximus confirmanda. Ideoque discretioni tue mandamus, quatenus ordinationem, reservationem et decretum predicta in hiis, que pro eodem magistro I(reneo) faciunt, auctoritate nostra per te vel alium executioni demandes, contradictores etc. etc. compescendo. Non obstante, si dicto Episcopo Jauriensi aut aliquibus aliis a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque, ad id compelli vel suspendi aut interdici, seu excommunicari non possint, et quod alius nequeat de personatibus, dignitatibus, aliisque beneficiis ad ipsius Episcopi collationem spectantibus, aliquibus providere per ipsius Sedis litteras non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, seu aliqua indulgentia Sedis eiusdem, per quam executio hujusmodi impediri valeat, vel differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis. Datum apud Urbem Veterem IIII. Nonas Januarii; Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 258. l.)

52.

IV. Orbán pápa János győri esperestnek megengedi, hogy esperestségén kivül más egyházi javadalmat birhasson még. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio Joanni Archidiacono Jauriensi, nepoti venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Penestrini salutem etc. Volentes tibi tue devotionis meritis, intuitu quoque venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Penestrini, cuius nepos existis, gratiam facere specialem, tuis et eiusdem Episcopi precibus inclinati, devotioni tue, ut preter Archidiaconatum Jauriensis Ecclesie curam animarum annexam habentem, quem te canonice proponis adeptum, unicum aliud ecclesiasticum beneficium, etiam si sit personatus vel dignitas, et similis ei cura immineat, licite recipere, si tibi in Regno Ungarie canonice offeratur, et cum predicto Archidiaconatu retinere libere valeas, constitutione Generalis Concilii non obstante, auctoritate presentium indulgemus: proviso quod Archidiaconatus et beneficium huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum apud Urbem Veterem II. nonas Januarii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m 1. k. 258. l.)

53.

IV. Orbán pápa a veszprémi püspöknek meghagyja, hogy Róbertet, kinevezett valkói esperestet, esperestségébe igtassa. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Episcopo Vesprimiensi salutem etc. Dilectus filius Robertus Subdiaconus noster, Cantor Ecclesie de Possega, Capellanus venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Penestrini, in nostra proposuit presentia constitutus, quod venerabilis frater noster . . . Penestrinus Episcopus, cui conferendi per se, vel per alium aut alios personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates cum cura et sine cura, que venerabilis frater noster Timotheus Zagrabiensis Episcopus, tunc electus, promotionis sue tempore in Regno Ungarie obtinebat, concesseramus per nostras sub certa forma litteras liberam facultatem, Archidiaconatum de Uulto (Valko), nec non Canonicatum et prebendam, quos idem Episcopus predicte promotionis tempore in Quinqueecclesiensi Ecclesia obtinet, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi predictarum litterarum auctoritate contulit, et providit de illis, teque de ipsis per suum annulum investivit, prout in instrumento publico inde confecto dictique Penestrini Episcopi sigillo signato plenius continetur. Nos itaque dicti Roberti supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo Prenestino factum est in hac parte, ratum et firmum habentes, id per nostras litteras duximus confirmandum. Quocirca fraternitati tue mandamus, quatenus per te, vel per alium seu alios, predictum Robertum, vel procuratorem suum eius nomine iuxta prefati instrumenti tenorem in corporalem possessionem Archidiaconatus et prebende predictorum auctoritate nostra inducens, et defendens inductum, facias eum in dicta Ecclesia ad Archidiaconatum ipsum admitti, et ad prefatam prebendam in Canonicum recipi, et in fratrem, non obstante certo ipsius Ecclesie Canonicorum numero iuramento, confirmatione Sedis Aposto-

lice, sive quacumque firmitate vallato, aut si in eadem Ecclesia direximus pro aliis scripta nostra, seu si Sedis predicte aut legatorum ipsius vel quacumque alia auctoritate in ea in Canonicos aliqui sunt recepti, vel ut recipiantur, insistant, quibus per hoc ad assecutionem aliorum beneficiorum, personatuum vel dignitatum nullum volumus preiudicium generari, aut si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint et quod de beneficiis et personatibus vel dignitatibus ad collationem eorum spectabilibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, que de indultu huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia dicte Sedis, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis, seu quod idem Robertus alias beneficiatus existit. Contradictores stb. compescendo. Datum apud Urbem Veterem II. Idus Januarii. Anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 260. l.)

54.

IV. Orbán pápa Eventius zágrábi kanonokot egyházi javadalmában megerősíti. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio Eventio presbitero, Canonico Zagrabiensi, salutem etc. Que de Sedis Apostolice auctoritate procedunt, sue debent firmitatis robore muniri, ut et futuris temporibus valeant illibata consistere, et optata de illis possit utilitas provenire. Sane tua nobis exhibita petitio continebat, quod cum nos venerabili fratri nostro S(tephano) Penestrino Episcopo conferendi per se, vel per alium personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates cum cura et sine cura, que venerabilis frater no-

ster Timotheus Zagrabiensis Episcopus promotionis sue tempore in Regno Ungarie obtinebat, ac faciendi personas ipsas ad beneficia huiusmodi, si in Ecclesiis collegatis existerent, in canonicos recipi et in fratres, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, liberam concessissemus per nostras litteras facultatem, demum idem Episcopus Prenestinus tibi Capellano suo auctoritate litterarum ipsarum canonicatum et prebendam, quos dictus Episcopus Zagrabiensis tempore sue promotionis in Zagrabiensi Ecclesia obtinuerat, per huiusmodi promotionem iamdicti Episcopi Zagrabiensis vacantes, cum domibus, curia, et omnibus iuribus, et pertinentiis suis contulit, et de ipsis providit, teque presentialiter investivit per suum annulum de eisdem; decernens irritum et inane, si secus de canonicatu et prebenda huiusmodi quavis auctoritate contingeret per aliquem attemptari, prout in publico instrumento confecto exinde, ac sigillo ipsius Episcopi Penestrini signato plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo Prenestino super premissis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus stb. communimus. Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari: qui talis est.

Stephanus stb. (István bibornokpüspök határozata következik alább 76. sz. a.)

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum apud Urbem Veterem XVII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 260. l.)

55.

IV. Orbán pápa ugyanazon ügyben intézkedik. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Colocensi, et dilecto filio Abbati de Toplica Cisterciensis Ordinis Zagabriensis Diocesis salutem etc. Que de Sedis stb. provenire. Sane petitio dilecti filii Eventii presbiteri Canonici Zagabriensis, Capellani venerabilis fratris nostri S. Episcopi Prenestini, nobis exhibita continebat, quod cum nos eidem Episcopo etc. Quocirca mandamus, quatenus dictum Eventium vel procuratorem suum eius nomine in possessionem canonicatus, prebende, domorum, iurium et pertinentiarum ipsorum, amoto exinde quolibet detentore, vos vel alter vestrum per vos, vel per alium aut alios, auctoritate nostra inducatis et defendatis inductum, facientes eum in dicta Ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, sibi stallo in choro et loco in capitulo cum plenitudine iuris canonici assignatis; non obstante statuto de certo canonicorum numero iuramento vel confirmatione Apostolica seu quacumque firmitate vallato, aut si pro aliis in dicta Ecclesia direximus scripta nostra, vel si Sedis Apostolice, vel legatorum eius aut quacunque auctoritate in ea in canonicos aliqui sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, quibus propter hoc quo ad assecutionem aliorum beneficiorum, personatuum vel dignitatum seu prebendarum nolumus preiudicium generari, vel si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli vel interdici aut suspendi seu excommunicari non possint, et quod de beneficiis, personatibus vel dignitatibus seu prebendis ad collationem ipsorum spectantibus nulli valeat provideri per ipsius sedis litteras, non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, seu qualibet alia indulgentia sedis eiusdem, de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris (litteris) fieri

mentionem, et per quam effectus executionis huiusmodi impediri valeat, vel differri, aut si dictus presbiter alias beneficiatus existat. Contradictores etc. Datum apud Urbem Veterem XVII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 261. l.)

56.

IV. Orbán pápa István prenesztei bibornokpüspök határozatát, mely által János győri esperestnek a zalai esperestséget oda rendelte, megerősiti. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio Joanni Archidiacono Jauriensi, Capellano nostro, nepoti venerabili fratris nostri . . . Episcopi Prenestrini, salutem etc. In nostra proposuisti presentia constitutus, quod venerabilis frater noter . . . Penestrinus Episcopus, cui conferendi per se vel per alium aut alios personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates cum cura et sine cura, que venerabilis frater noster Timotheus Zagabriensis Episcopus tum electus promotionis sue tempore in Regno Ungarie obtinebat, concesseramus per nostras sub certa forma litteras facultatem liberam, Archidiaconatum Zaladiensem, necnon canonicatum et prebendam, quos idem Episcopus promotionis sue tempore in Vesprimiensi Ecclesia obtinebat, cum iuribus et pertinentiis suis tibi predictarum litterarum auctoritate contulit, et providit de illis, et dilectum filium Thomasinum notarium suum tuo nomine de ipsis per suum annulum investivit, prout in instrumento publico inde confecto dictique Penestrini Episcopi sigillo signato plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo Penestrino factum est in hac parte, ratum et firmum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patronicio

communimus. Tenorem autem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus facimus annotari; qui talis est:

Stephanus stb. (következik István bibornok-püspöknek határozata mint alább 77. sz. a.)

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbem Veterem V. Idus Martii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 263. l.)

57.

IV. Orbán pápa Magyarország főpapjainak meghagyja, hogy a magyar királyi családnak a tatárokkali összeházasodását akadályoztassák. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, aliisque Prelatis Ecclesiarum per Regnum Ungarie constitutis, salutem etc. Per facti evidentiam tibi et universitati fidelium de Regno Ungarie in populum deplorandum agnoscitur, qualiter dampnabilis feritas Tartarorum suam potentiam ad Christiane religionis exterminium experitur. Digne igitur non solum admiratione concuti, sed debemus etiam stupore perfundi, dum per aliquos fidedignos, corde tamen anxios et oculis lacrimosos, nobis asseritur, quod karissimis in Christo filiis nostris Bele Ungarie et Stephano primogenito eius Regibus illustribus a Tartarorum calliditate subdola per quosdam fallaces ipsorum nuncios, vel potius exploratores pestiferos suadetur, ut iidem Reges eis parentele vinculo, vel quocumque alio amicabili federe studeant alligari, quasi astutia Tartarorum ipsorum Reges eosdem ita fore simplices arbitretur, ut nolint habere pre oculis, qualis in iamdicto Regno facta per ipsos olim fuerit effusio sanguinis innocentis. Ha Deus! que conuentio lucis ad tenebras, vel quid ad plebem catholicam et

devotam cum confidelium communione perfida seu dampnatorum hominum participatione dolosa, vel quid etiam lupos rapaces et perditionis ac dispersionis semper avidos cum pastoris eterni contumelia, et agni celestis offensa ovium gregi mitissimo applicari, vel columbas colubris çouniri? Ha Deus! quid ad gentem impiam et a sancti nominis tui notitia penitus alienam? ad hoc intendere, ut redemptos glorioso pretio sui sanguinis sub quodam consanguinitatis vel affinitatis, aut confederationis amictu possint sue perfidie contagio maculare, ac in illam per consequens devenire potentiam, ut de Ungarie partibus et locis conterminis deleatur omnis tue reverentia maiestatis. Hac enim de causa utrique Regum ipsorum nostras dirigimus litteras inter alia continentes, ut sit eis in odium temporibus audivisse preteritis, vel in diebus audire futuris, quod gens tam spurcida, tam prophana, cum eis, aut cum aliquibus aliis personis eximiis Regni eiusdem commune quid habeant, nisi forte quod veniat ad Regis eterni cultum beatissimum, si tamen hoc ei desuper sit concessum, vel quod opportuno loco et tempore se videat sub vexillo sue celsitudinis, favente virtutis Divine subsidio ruinam irreparabilem incurrisse. Rogamus itaque universitatem vestram affectione, qua possumus, ac etiam sub pena excommunicationis, quam eo ipso, si contrafeceritis, incurratis, vobis per Apostolica scripta districtius inhibemus, quatenus huiusmodi parentelis et confederationibus iniendis, vel habendis tractatibus super hiis, et similibus inter ipsos, vestram omnino presentiam adimatis, ac nullum super hiis prestatis auxilium, consilium vel favorem; sed omni virtute, qua poteritis, tam indignis affectibus et iniquis operibus resistatis, ut Apostolice Sedi sit delectabile circa vos sue benevolentie gratiam ampliare, si agnoscat per effectum operis, quod in affecto vestro geritur, ut nihil a Regibus memoratis vel quibuscunque aliis in detrimentum catholice fidei, vel in iacturum fidelium presumatur. Datum apud Urbem Veterem V. Kal. Februarii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 265. l.)

58.

IV. Orbán pápa Farkas mesternek, választott székesfehérvári prépostnak meghagyja, hogy négy holnap alatt Romában jelenjen meg. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio magistro Forcasio Electo in Prepositum Ecclesie Albensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Vesprimiensis Diocesis, aule carissimi in Christo filii nostri . . . Regis Ungarie illustris Vice-Cancellario, salutem etc. Tue devotionis puritas efficaciter persuadet, quod tuis libenter intendentes profectibus ab hiis, que tibi dispendium possent affere, opportune subventionis remedio tuam studeamus personam favorabiliter preservare. Sane lecta coram nobis petitionis tue series continebat, quod licet tu, qui in Prepositum Albensis Ecclesie canonice, ut asseris, es electus, in votis habueris, pro petenda confirmatione huiusmodi electionis infra tempus Electis Ecclesiarum ad petendum electionum suarum confirmationis munus a iure statutum, ad Apostolicam Sedem personaliter te conferre; tamen discriminibus guerrarum, que in illis invaluere partibus, tibi super hoc impedimenti obicem opponentibus, nequis commode huiusmodi tuum in hac parte desiderium adimplere; super quo ne id tibi ad negligentie culpam futuris forsan possit temporibus imputari, per nostram provideri sollicitudinem suppliciter postulasti. Tuis igitur supplicationibus inclinati, tibi ad veniendum ad nostram presentiam pro dicte confirmationis tue munere postulando quatuor mensium spatium indulgemus; ita quod infra illud propter hoc ad sedem prefatam accedere tenearis. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum apud Urbem Veterem II. Idus Februarii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 266. l.)

59.

IV. Orbán pápa az erdélyi püspöknek meghagyja, hogy István papot, ki magát védelmezvén, emberölést elkövetett, az egyházi büntetés alól felmentse. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Episcopo Ultrasilvano salutem etc. Accedens ad presentiam nostram Stephanus presbiter, lator presentium, tue Diocesis, nobis exposuit: quod cum quidam laicus maligno ductus spiritu armata manu ad hospitium eius accedens, eum occidere niteretur, idem presbiter ad defensionem suam quendam cultellum, quem portabat ad latus exerens, cum aliter non posset evadere, utebatur eo pro eodem laico terrendo comminatione, non ictu; ipse vero laicus ad eiusdem presbiteri mortem aspirans, se in cultellum ipsum impegit, sicque vulneratus ex illo diem clausit extremum; propter quod nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc igitur misericorditer dignaremur. Quocirca mandamus, quatenus inquisita super hoc diligentius et cognita plenius veritate, si rem inveneris taliter se habere, et quod dictus presbiter in necessitatem huiusmodi se culpa propria non ingessit, aliudque canonicum non obstat, cum eodem pesbitero, quod hoc non obstante in suis ordinibus ministrare valeat, et beneficium ecclesiasticum, quod curam animarum nullatenus habeat, obtinere, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire. Datum apud Urbem Veterem Idibus Aprilis, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 267. l.)

60.

IV. Orbán pápa intézkedése, hogy Endre papnak a székesfehérvári káptalanban kanonokság adattassék. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio . . . Preposito Ecclesie Strigoniensis etc. De dilecto filio Andrea clerico, nato dilecti filii Andree de Meniis laici Strigoniensis Diocesis, in etate tenera constituto, nobis datur intelligi, quod ipse Domino concedente, virum producere debeat moribus placidum et scientia gratiosum: hinc est, quod nos eum propter hoc gratiose prosequi ac favorabiliter intendentes discretioni tue mandamus, quatenus clericum ipsum per te vel per alium in Ecclesia Albensi Vesprimiensis Diocesis auctoritate nostra recipi facias in Canonicum et in fratrem, eique provideas de prebenda, si vacat ibidem ad presens, vel quam primum ad id obtulerit se facultas: non obstante statuto de certo canonicorum numero iuramento, confirmatione Sedis Apostolice aut alia qualibet firmitate vallato, seu si in Ecclesia ipsa sunt aliqui nostra vel alia quavis auctoritate recepti, vel ut recipiantur insistant, quibus auctoritate presentium nullum volumus preiudicium generari; aut si dilectis filiis Capitulo eiusdem Ecclesie vel aliquibus aliis a Sede predicta indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicuius compelli, aut excommunicari, suspendi vel interdici non possint, vel quod alius nequeat de prebendis eiusdem aliquibus providere per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, seu alia qualibet ipsius Sedis indulgentia, per quam effectus presentis gratie impediri valeat vel differri. Contradictores etc. Datum apud Urbem Veterem II. Kal. Maii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 267. l.)

61.

IV. Orbán pápa Girold owadi (óvári) pap számára néhány kápolnának birtokát erősiti meg. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio Giroldo de Owad (Óvár ?) clerico Jauriensis Diocesis salutem etc. Hiis, que nostra auctoritate fiunt, ut firma permaneant, et illibata consistant, libenter adicimus Apostolici roboris firmitatem. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum nos olim venerabili fratri nostro . . . Episcopo Penestrino conferendi personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates cum cura et sine cura, que venerabilis frater noster Tymotheus, Zagabriensis Episcopus tunc Electus, cuius nepos existis, promotionis sue tempore in Regno Ungarie obtinebat et contradictores etc. compescendi, per nostras sub certa forma litteras concessissemus liberam facultatem; idem Episcopus Penestrinus Sancti Laurentii de villa Files, Sancti Demetrii de Boren, Omnium Sanctorum de Nigwan et Sancti Martini de Minore Mortin Capellas, quas idem Zagabriensis Episcopus tempore sue promotionis in Diocesi Jauriensi habuerat, et que tunc per ipsius promotionem vacabant, te ad ipsas idoneum reputans, tibi canonice contulit auctoritate huiusmodi litterarum, teque de ipsis providit ac te per suum annulum investivit; decernens irritum et inane, si secus de capellis eisdem a quoquam contingeret attemptari, prout in instrumento publico inde confecto et ipsius Episcopi Penestrini sigillo munito plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Penestrino Episcopo factum est, ratum habentes et firmum, illud auctoritate Apostolica confirmamus etc. communimus; tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est:

Stephanus stb. (mint alább 78. sz. a.)

Nulli ergo nostre confirmationis etc. Datum apud Urbem Veterem XII. Kal. Julii. Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 268. l.)

62.

IV. Orbán pápa az esztergami érsekhez ugyanazon ügyben. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Hiis, que nostra auctoritate fiunt, ut firma permaneant et illibata consistant, libenter adicimus Apostolici roboris firmitatem. Sane petitio dilecti filii Giroldi de Owad clerici Jauriensis Diocesis, nobis exhibita continebat, quod cum nos olim venerabili fratri nostro . . . Episcopo etc. confirmandum. Quocirca fraternitati tue mandamus, quatenus eundem Giroldum vel alium loco sui in corporalem earundem capellarum possessionem inducas, per te, vel per alium, et defendas inductum, amoto ab eis quolibet illicito detentore; non obstante, si scripsimus in partibus illis specialiter vel generaliter super provisionibus aliorum, quibus quoad assecutionem aliorum beneficiorum nolumus preiudicium generari; aut si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius compelli, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis ad collationem eorum spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, seu qualibet alia indulgentia dicte Sedis, per quam id impediri valeat vel differri. Contradictores etc. Datum apud Urbem Veterem XII. Kal. Julii. (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 269. l.)

63.

IV. Orbán pápának intézkedései a pogány kunok ellen. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabilibus fratribus . . . Strigoniensi et . . . Colocensi Archiepiscopis salutem etc. Pre nostris humiliter habentes oculis, qualiter fidei Catholice dignitatem instituerit virtus et sapientia Dei patris, quietem cordis seu tranquillitatem mentis habere non possumus, quando fidem ipsam impugnari vel deprimi nequiter persentimus: nostreque affectionis plenitudinem seu nobis infusam a Deo sincerissimam voluntatem ad hoc tota virtute dirigimus, ut defensionem ac exaltationem ipsius fidei sine mora magnifice procuremus. Sane carissimus in Christo filius noster B(ela) Illustris Rex Ungarie tanquam Princeps Catholicus, et in ampliationem Christiani nominis studiosus, pie considerans et prudenter advertens Regnum Ungarie consuetum numerosa multitudine fidelium abundare, propter incursum Tartarorum crudelium fuisse in cultoribus Catholice fidei, permittente Domino, graviter diminitum, ac super hoc volens de qualicunque remedio providere, cum providendi de alio competenti votiva sibi non occurreret promptitudo, Cumanos a cultu Catholice fidei alienos in Regnum ipsum ea, sicut asserit, conditione induxit, ut illi ex eis, qui pro exaltatione fidei ac restauratione Regni eiusdem devotis ibi mentibus susciperent incolatum, renasci fonte baptismatis et cultores perpetui deberent fieri Catholice puritatis. Sed ecce idem Rex, prout ex relatu sui nuncii specialis tristes accepimus, intentione sua laudabili enormiter remanet defraudatus, dum pauci de Cumanorum ipsorum maxima multitudine cum astutia multe fraudis ad ipsius Regni coloniam transeuntes, qui ad baptismale lavacrum pervenerunt, fidem dampnabiliter respuunt, quam in sacramento huiusmodi fallaciter susceperunt, reliquis, quorum numerus supra creditum est diffusus,

predictam fidem ita ducentibus in contemptum, quod ipsi non solum ad eam converti renuunt, prout ex premissa conditione tenentur, sed corporis et sanguinis Dominici sacramentum angelicis etiam potestatibus reverendum, habere derisui, sacerdotibus Christianis illudere, ecclesias in stabula commutare, ac etiam prophanare, nec non turpitudines horridas et nephandas in eis perpetrare presumunt: uxores autem Chistrianorum et virgines aliasque solutas mulieres de sacro fonte renatas vi opprimunt, ac eis nequiter abutuntur, Christianos passim et indifferenter perimunt, si a nemine in talis perpetracione flagitii videantur, aliaque tam horrida seu terribilia visu et indigna relatu committunt, quod in illa parte Regni predicti, que de ipsorum contagiosa presencia maculatur, fides labitur, libertas cónculcatur Ecclesie, multisque pressuris et dispendiis Regie Serenitas afficitur dignitatis; propter quod imminet non immerito formidandum, ne prefatum Regnum processu temporis caderet a titulo Catholice claritatis, si, quod absit, spurcitia gentilium ibi pro suo voto dampnabili susciperet incrementum. Quare pro parte supradicti Regis instanter petebatur a nobis, ut super hiis providere de opportuno consilio et festino subsidio curaremus. Cum itaque Apostolici sollicitudo deposcat officii super tanta diversitate discriminum celere ac salubre remedium adhibere; nos qui potissime in mente gerimus, ut que ad salutem fidelium sunt Divinitus instituta, in suo robore conservemus, affectibus procurando promptis et liberis, ut evanescant omnia, que Divine sunt opposita beneplacito Maiestatis, fraternitati vestre per Apostolica scripta in virtute obedientie sub excommunicationis pena districte precipiendo mandamus, quatenus, si premissa veritate nituntur, vos vel alter vestrum universos Cumanos predictos per vos aut alios, sicut efficacius poteritis, moneatis, ut illi ex eis, quibus provenit perceptio gratie baptismalis, fidem Catholicam firmiter et reverenter observent; reliqui vero infra certum terminum eis a vestra prudentia prefigendum, iuxta conditionem predictam sacramentum baptismatis, fidemqne prefatam devoto corde suscipere non omittant, predictis nequitiis et flagitiis a se penitus relegatis; ita quod illius felicitatis et glorie mereantur esse participes, ad quam iuxta providentiam conditoris

omnium soli perveniunt fidei Catholice professores, quamque Regis eterni benignitas post eius in alta celorum ascensionem mirabilem pervenire voluit suam collentes beatissimam Deitatem. Si vero ipsi cor suum posuerint adamantem, ita ut nec igne caritatis, nec memoria Dominice passionis, nec Divini verbi malleo confringantur, illumque contempnant agnoscere, sine cuius cultu celebri et devoto omnis labor amittitur, et nunquam ad celi patriam pervenitur; vos ex tunc contra huiusmodi baptizatos Cumanos ad observationem fidei compellendos, nec non contra reliquos universos, qui viam veritatis effugiunt et lucis aggregari filiis dedignantur, de Regno ipso eiusque finibus penitus expellendos, per vos et alios, in quorum labiis Divini eloquii gratia sit diffusa, verbum crucis tam in Ungaria, Polonia et Boemia, quam in Austria et aliis provinciis eidem Regno adiacentibus predicetis. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui propter hoc, crucis assumpto signaculo, negotium huiusmodi devota mente et pura conscientia prosequentur, illam concedimus veniam peccatorum, idemque privilegium elargimur, que transeuntibus in terre sancte subsidium in Generali Concilio a Sede Apostolica sunt concessa. Volumus autem, ut predicationi crucis, que auctoritate Apostolica fit pro subsidio Livonie, Curonie, Estonie ac Pruscie, nullum ex huiusmodi predicatione vestra preiudicium generetur. Vos itaque huiusmodi negotium sub fiducia vobis speciali commissum, sic sapienter et fideliter exequi studeatis, ut predictis Regi et Regno votiva exinde consolatio et nobis spiritualis multitudo letitie, ac vobis gratie Divine premium et favoris nostri proveniat incrementum. Datum apud Urbem Veterem II. Idus Julii, (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 269. l.)

64.

IV. Orbán pápa megerősiti IV. Béla királynak Vissegrád várát és Pilis megyét tárgyazó, Mária királyné számára tett adományát. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Justa desideria carissime in Christo filie nostre M(arie) Illustris Regine Ungarie, que per Dei gratiam vigilanter insistere dicitur operibus pietatis, auditu benigno suscipere et promptis delectamur affectibus adimplere. Sane ipsius Regine et carissimi in Christo filii nostri B(ele) Illustris Regis Ungarie, viri eius, exhibita nobis petitio continebat, quod idem Rex illa deploranda discrimina, que Regno Ungarie intulit impietas horrida Tartarorum, clementer attendens, provide ac pie disposuit, ut in locis convenientibus ipsius Regni faceret castra construi, per que fidelium posset salus et defensio procurari. Cum autem dicta Regina quendam montem tunc desertum in silva, que Pelys dicitur, existentem pro castro ad defensionem viduarum et orphanorum contra hostilitatem Tartaricam, que formidabilis imminebat, inibi construendo ab ipso Rege dari sibi cum instantia petivisset, idem Rex, qui etiam Baronibus et aliis suis fidelibus loca huiusmodi pro faciendis munitionibus concedebat, prefate Regine liberali dextra montem donavit eundem, in quo ipsa de auro et ornamentis suis propriis, sertis videlicet aureis et monilibus ac rebus aliis pretiosis, que secum de domo paterna portavit, castrum, quod Wyssegrad dicitur, fecit opere sumptuoso construi, ad quod necessitatis tempore vidue, orphani ac fideles alii receptacula propria non habentes possent confugere, et ab hostili rabie tamquam in domo refugii se tueri. Postmodum vero prefatus Rex, pensata magnitudine sumptuum, quos dicta Regina pro huiusmodi opere faceret, ei castrum ipsum cum Comitatu et districtu de Pelys Regia liberalitate, ac titulo donationis per-

petuo valiture dedit, tradidit, sicut montem concesserat memoratum, ductus illa consideratione potissime, quod cum eadem Regina quoddam monasterium in insula Danubii ad honorem Gloriose Virginis Marie construi fecisset de propriis bonis suis, Regie decebat Altitudinis claritatem, quod ipse sicut de aliorum bonorum suorum affluentia, ita et de suis liberis honorem dignum impenderet Maiestati omnium Conditoris. Sic etenim per inspirationem Dei mirificam factum esse conspicitur, quod idem Rex ad gloriam Regis et Regine celorum carissimam in Christo filiam nostram Margaritam, natam suam, obtulit Gloriose Virgini, suis laudibus in eodem monasterio perpetuo servituram. Et quia plurime generose virgines Regni predicti, fere centum numero, in monasterio ipso ad Divine laudis obsequium devote ac humiliter convenerunt, voluit Rex prefatus, ut huiusmodi ancille Christi urgente necessitatis tempore se in eodem castro recipere valeant, et in eius secretario virtutum Domino famulari. Porro ut libera disponendi ac ordinandi de ipso castro penes Reginam prefatam potestas remaneat et facultas, idem Rex de consilio Prelatorum et prefati Regni Baronum inter alia statuit ordinando, ut Regina ipsa predictum castrum uni ex dictorum Regis et Regine liberis, qui magis eidem Regine fuerit obsecutus, in vita donare vel in morte legare valeat, prout eius placuerit voluntati, sicut in patentibus litteris eiusdem Regis confectis exinde suaque aurea bulla munitis plenius continetur. Quare pro parte ipsorum Regis et Regine instanter petebatur a nobis, ut cum proventus ac redditus montis, Comitatus et Districtus ipsorum tempore donationis, concessionis et traditionis huiusmodi valorem quinquaginta marcarum argenti non excederent annuatim, donationem, concessionem et traditionem easdem, ac statutum et ordinationem huiusmodi, non obstantibus constitutionibus contrariis, que inter virum et uxorem donationes fieri prohibent, Apostolico curaremus munimine roborare. Nos itaque considerantes attente ius prohibite donationis huiusmodi non amare, nec tamquam inter infestos fore tractandum, sed tamquam inter maximo coniunctos affectu, et solam timentes inopiam, quod profecto ad donatoris et donatorie magnificentiam ac doni exiguitatem respectu habito, locum sibi non vendicat

in hoc casu, et quod etiam tam pie et honeste cause ad id Regem induxerunt eundem, donationem, concessionem et traditionem, statutum et ordinationem predictam, sicut alias provide facta sunt, rata et firma habentes, ea non obstantibus constitutionibus ipsis auctoritate Apostolica duximus confirmanda. Quocirca mandamus, quatenus dictam Reginam non permittas super premissis contra huius confirmationis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi etc. compescendo. Non obstante, si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint per ipsius sedis litteras non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem; sive aliqua ipsius Sedis indulgentia, per quam attributa in hac parte tibi iurisdictio impediri valeat aut differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis. Datum apud Urbem Veterem Idibus Julii. (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 271. l.)

65.

IV. Orbán pápa Béla szlavoniai herczeg számára megerősiti IV. Béla királynak az ország több végváraira vonatkozó adományát. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio nobili viro B(ele) Duci Sclavonie salutem etc. Pro fidei meritis, que per Christi gratiam rutilare comprobaris, te libenter speciali favore prosequimur, et que tibi prosperitatem adiciant, liberaliter elargimur; firma credulitate tenentes, quod quanto gratiam grandiorum ab Apostolica Sede perceperis, tanto ei ferventiori studio te oportuno tempore studebis devotum per effectum operis exhibere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod carissimus in Christo filius noster B(ela) Ungarie

Rex Illustris, pater tuus, diligenter attendens, quod de Nitria, de Posonio, de Musum, de Supprio et Ferreum Castra Regni Ungarie in confinio eius sita, eidem Regno, si ea, quod absit, ad hostes pervenirent ipsius, gravia dispendia imminerent, et quod eadem castra per te utilius possent quam per alium gubernari, ea tibi Regia liberalitate donavit, prout in patentibus litteris dicti Regis confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis et prefati Regis supplicationibus inclinati, donationem huiusmodi, sicut provide facta est, ratam et firmam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus etc. Nulli ergo etc. nostre confirmatione etc. Datum apud Urbem Veterem Idibus Julii. Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 272. l.)

66.

IV. Orbán pápa ugyanazon ügyben az esztergami érsekhez.
1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Pro fidei meritis, qua per Christi rutilare gratiam dilectus filius nobilis vir B(ela) Dux Sclavonie comprobatur, eum libenter speciali favore prosequimur, et que sibi prosperitatem adiciant, liberaliter elargimur; firma credulitate tenentes, quod quanto gratiam grandiorem ab Apostolica Sede perceperit, tanto ei ferventiori studio se oportuno tempore studebit devotum per effectum operis exhibere. Sane petitio sua nobis exhibita continebat, quod carissimus in Christo filius noster B(ela) Ungarie Rex Illustris, pater suus, diligenter attendens, quod de Nitria, de Posonio, de Musum, de Supprio et Ferreum Castra Regni Ungarie in confinio eius sita, eidem Regno, si ea, quod absit, ad hostes pervenirent ipsius, gravia dispendia imminerent, et

quod eadem Castra per eum utilius possent quam per alium gubernari, ea ipsi Regia liberalitate donavit, prout in patentibus litteris dicti Regis confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque ipsius Ducis et prefati Regis supplicationibus inclinati, donationem huiusmodi, sicut provide facta est, ratam et firmam habentes, eam auctoritate Apostolica duximus confirmandam. Quocirca mandamus, quatenus prefatum Ducem non permittas super premissis contra huiusmodi confirmationis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi etc. compescendo. Non obstante, si aliquibus a sede Apostolica sit indultum etc. specialis. Datum apud Urbem Veterem Idibus Julii. Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 272. l.)

67.

IV. Orbán pápa Béla szlavoniai herczeg számára megerősiti IV. Béla királynak egy másik adományát. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio nobili viro B(ele) Duci Sclavonie salutem etc. Quia Deo et Ecclesie devotus esse dinosceris, personam tuam libenter prosequi volumus benigni exhibitione favoris. Hinc est, quod nos obtentu carissimorum in Christo filiorum nostrorum . . . Regis et Regine Ungarie Illustrium, quorum natus existis, tuis iustis supplicationibus annuentes, de Baragna, Vulco, Simigio, Zala et Olcha Castra cum iuribus et pertinentiis eorundem, nec non sales aquaticos ad Ducatum tuum Sclavonie, prout asseris, pertinentia, sicut ea iuste possides et quiete, tibi auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum apud Urbem Veterem Idibus Julii. (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 273. l.)

68.

IV. Orbán pápa IV. Béla királynak Belin és Sz.-Demerre vonatkozó adományát leánya Anna, Radoszlaw gakicziai herczeg özvegye, és fiai számára megerősiti. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilectis filiis nobili mulieri Agne vidue Ducisse Galitie, de Bosna et de Mazo Domine, ac nobilibus viris Michaeli et Bele natis eiusdem salutem etc. Cum a nobis petitur stb. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod carissimus in Christo filius noster B(ela) Ungarie Rex Illustris, pater tuus, filia Ducissa, quondam Radizlao, Duci Galicie, viro tuo, et tibi, predicta Ducissa, vestrisque heredibus in perpetuum quasdam terras et possessiones, que Belin et de Sancto Demetrio nuncupantur, cum iuribus et pertinentiis earum, sicut ad Regem spectabant eundem, liberali dextra concessit, tradidit et donavit, prout in patentibus litteris ipsius Regis confectis exinde suoque sigillo munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque obtentu prefati Regis, et carissime in Christo filie nostre M(arie) Illustris Regine Ungarie, matris tue, prefata Ducissa, qui pro te vobisque, filii Michael et Bela, nepotibus suis, predicti Ducis filiis et heredibus, Apostolicam gratiam implorari fecerunt, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Rege super concessione, traditione et donatione huiusmodi provide factum est, ratum et firmum habentes, terras et possessiones predictas, sicut eas iuste ac pacifice possidetis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum apud Urbem Veterem Idibus Julii. Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 273. l.)

69.

IV. Orbán pápa a nyitrai püspöknek meghagyja, hogy káplánja Sixtus számára egyházi javadalomról gondoskodjék. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri . . . Episcopo Nitriensi salutem etc. Apostolice benignitatis affectum potissime circa illos debemus exponere, de quibus evidentie claritas innuit, quod sint digni speciali gratia et honore. Sane dilectus filius magister Sistus, Capellanus noster, scolasticus Strigoniensis, clericus et nuncius carissimi in Christo filii nostri B(ele) Ungarie Regis Illustris, morum et scientie meritis iuvari dinoscitur, ut a nobis gratiosa benivolentia foveatur. Cum itaque idem Capellanus Archidiaconatum, quem in Ecclesia Jauriensi pacifice se obtinere proponit, velit, sicut asserit, libere resignare; nos ei obtentu prefati Regis, nec non dictorum meritorum intuitu, volentes gratiam facere specialem, fraternitati tue mandamus, quatenus eidem Capellano in Zagrabiensi, vel aliqua Cathedrali, aut alia Ecclesia provincie Strigoniensis, de personatu vel dignitate cum cura, vel sine cura, et etiam de prebenda, si vacant ad presens, vel quam cito se facultas obtulerit, auctoritate nostra per te, vel per alium providere procures, faciens eum in Ecclesia, in qua ei duxeris providendum, in canonicum recipi et in fratrem, non obstante statuto de certo canonicorum numero, iuramento vel confirmatione Apostolica, seu quacunque firmitate vallato, vel si pro aliis ibidem scripta nostra direximus, quibus auctoritate presentium nolumus preiudicium generari, seu quod idem Capellanus alias beneficiatus existit; vel si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli, vel suspendi aut interdici seu excommunicari non possint, et quod alius de personatibus, dignitatibus, prebendis et beneficiis ad collationem vel electionem eorum spectantibus, nequeat aliquibus

providere per ipsius sedis litteras non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem; sive aliqua ipsius sedis indulgentia, per quam effectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris fieri debeat mentio specialis. Contradictores etc. Nos enim nichilominus irritum decernimus et inane, si secus de personatu vel dignitate ac prebenda huiusmodi Apostolica, vel quavis auctoritate alia a quoquam contigerit attemptari. Volumus autem, quod idem Capellanus, postquam personatum, vel dignitatem ac prebendam huiusmodi fuerit pacifice assecutus, Archidiaconatum resignet eundem, quem nos nichilominus ex tunc vacare decernimus eo ipso. Datum apud Urbem Veterem Idibus. (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestaiból, Theiner id. m. I. k. 274. l.)

70.

IV. Orbán pápa Istvánt ifjabb magyar királyt inti, hogy nővérét Annát, galicziai özvegyherczegnét, birtokában ne háborgassa. 1264.

Urbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Stephano Regi, primogenito carissimi in Christo filii nostri B(ele) Illustris Regis Ungarie, salutem etc. Mente vigili et animo diligenti debet illa omnia tua devitare sublimitas, in quibus de aculeo iniquitatis agitur, et offensa Dei, ac pupillorum et orphonorum iniuria contineri videtur. Sane carissima in Christo filia nostra Agna vidua, soror tua, Ducissa Galitie ac de Bosna, et de Mazo Domina, et dilecti filii Michael et Bela orphani nati eius, gravi nobis conquestione monstrarunt, quod tu eos de Bercz et Fizer Castris, ac Solomon et de Borsna villis, iuribusque et pertinentiis suis, que dicti Ducissa et orphani se diu iuste et pacifice asserunt possedisse,

contra iustitiam spoliasti, sicque ipse pro tua voluntate detines et eis restituere indebite contradicis. Quare ipsi et carissimus in Christo filius noster B(ela) Illustris Rex Ungarie, pater tuus, per nuntium specialem pro eis instanter postulari fecerunt a nobis, ut super hiis exhiberi sibi complementum iustitie faceremus. Nos itaque considerantes attente, quod de spoliatione et detentione huiusmodi non modicum tue fame deperit et saluti, maxime quia non solum predictos Ducissam et orphanos, sed etiam Regem ipsum cum superni Regis offensa, prout accepimus, graviter perturbasti, magnitudinem tuam attente rogandam duximus et monendam, quatenus provide considerans etc. exaltabit, ad sororis tue et orphanorum ipsorum iura vel ad quorumcunque bona fidelium te qui etc. inhiare, supradicta castra et villas cum iuribus et pertinetiis suis pro Divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia restituere affectu prompto et libero non omittas; ita quod tibi exinde Divine benedictionis ac nostre premium cum laudis humane preconio valeat provenire; alioquin cum patres orphanorum et judices viduarum simus a Domino constituti, eisdem Ducisse ac filiis, pro quibus in suis iuribus confovendis prefati patris tui benignitas etc. restituendum prefatis Ducisse et filiis castra, villas, iura et pertinentia memorata, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, sicut iustum fuerit, appellatione remota, compellaris. Datum apud Urbem Veterem XVII. Kal. Augusti. (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 276. l.)

71.

IV. Orbán pápa Egyed győrmegyei pap számára egy ó-budai kanonokságról intézkedik. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio . . . Preposito Ecclesie Sancti Georgii Strigoniensis salutem etc. Apostolice benignitatis affectum potissime circa illos debemus exponere, de quibus evidentie claritas innuit, quod sint digni speciali gratia et honore. Cum itaque, sicut dilectus filius magister Xistus Capellanus noster, clericus et nuntius carissimorum in Christo filiorum nostrorum B(ele) Regis et . . . Regine Ungarie Illustrium nobis asseruit, dilectus filius Egidius, presbiter Jauriensis Diocesis, secum pro ipsorum Regis et Regine obsequiis ad Apostolicam Sedem accesserit, et propter hoc non modicum laborarit, ac etiam commendatus de honestate morum et vite, nec non litterarum scientia, nondum sit assecutus beneficium ecclesiasticum, de quo commode possit sustentari, nos eundem presbiterum obtentu dictorum Regis et Regine paterna benevolentia prosequentes, discretioni tue mandamus, quatenus presbiterum ipsum, si est idoneus, in Ecclesia Budensi Vesprimiensis Diocesis, dummodo pro alio in eadem Ecclesia nondum direximus scripta nostra, facias auctoritate nostra per te vel per alium in canonicum et fratrem recipi, ac sibi de prebenda, si qua in Ecclesia ipsa vacat ad presens, vel quam cito se facultas obtulerit, providere procures. Non obstante statuto de certo canonicorum numero iuramento et confirmatione Apostolica seu quacunque firmitate vallato, aut si dilectis filiis Preposito et Capitulo eiusdem Ecclesie, ad quos canonicorum institutio in ea dicitur pertinere, a Sede Apostolica sit indultum, quod ad receptionem et provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli vel suspendi, aut interdici seu excommunicari non possint, et quod alius nequeat de prebendis ad eorum collationem spectantibus aliquibus providere per ipsius Sedis litteras,

non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, sive aliqua indulgentia Sedis eiusdem, per quam effectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis. Contradictores etc. compescendo. Datum apud Urbem Veterem X. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 277. l.)

72.

IV. Orbán pápa Bálint mestert esztergammegyei diakont születése törvenytelensége alól felmenti. 1264.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio magistro Valentino Diacono Strigoniensi salutem etc. Exemplo Domini, qui bonos benedictione prosequitur et dat virtutum meritis sue dona percipi largitatis, favore digno instruimur et eis adhibere subsidium, per quod honoris et fame suscipiant incrementum. Hinc est, quod cum sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri B(ele) Ungarie Regis Illustris fuit propositum coram nobis, tu defectum natalium, quem de presbitero genitus et soluta pateris, studio bone conservationis et vite, litterarum scientia, et vite amplexu redimere dinoscaris, nos intuitu predicti Regis, qui per suum specialem nuntium Apostolicam pro te gratiam affectuosis precibus fecit implorari, volentes ut tu premium de probitate percipiens virtutum amplexui tempus deputasse preteritum et futurum adiicere delecteris, quod, huiusmodi non obstante defectu, in susceptis ministrare ordinibus et in presbiterum provenire ac beneficium ecclesiasticum, etiam si curam habeat animarum, et tibi alias canonice offeratur, obtinere valeas, maxime cum defectus ipse in illis partibus, sicut asseritur, sit occultus, tecum veris existentibus supradictis, Apostolica auctoritate de speciali gratia dispensamus; ita tamen, quod prout requiret onus beneficii,

quod deinceps obtinueris, te facias statutis temporibus ad ordines promoveri, et personaliter resideas in eisdem, alioquin huiusmodi gratia quoad beneficium ipsum nullius penitus sit momenti. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum apud UrbemVeterem X. Kal. Septembris. (Pontificatus nostri) anno tercio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 278. l.)

73.

IV. Orbán pápa a bizoni püspök érdekében tett intézkedéseit módosítja. 1264.

Urbanus Episcopus etc. venerabili fratri ... Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Olim tibi et venerabili fratri nostro Paulo Vesprimiensi Episcopo, tunc Preposito Ecclesie de Alba, super provisione venerabili fratri nostro ... Episcopo Bisinanensi in certa quantitate pecunie usque ad certum temporis spatium in tua provincia facienda, nostras sub certa forma litteras dicimur direxisse. Prelati quoque et clerici eiusdem provincie partem quantitatis huiusmodi pecunie predictarum litterarum autoritate ipsis imposite dicto Episcopo solvere, ut accepimus, inceperunt. Postmodum vero pro quodam alio Episcopo de Regno Sicilie, super provisione videlicet sibi ab Ecclesiis et Monasteriis Ungarie facienda, nostras sub certa forma litteras ad certum executorem dicimur destinasse, qui pretextu litterarum huiusmodi ordinavit, ut eidem Episcopo in centum et quinquaginta libris Turonensibus deberet a monasteriis dicte provincie annuatim usque ad triennium provideri. Tuque, cui dictus executor asseritur commisisse, ut provisionem huiusmodi dicto Episcopo iuxta ordinationem suam infra certum temporis spatium assignares,

eam sibi fieri in eadem provincia mandavisti, quandam Prelati et clerici eiusdem provincie, quos ad dictam provisionem faciendam intendebas compellere, recusaverint ipsam eidem Episcopo assignare. Cum itaque intentionis nostre non fuerit, nec existat, ut in predicta provincia, in qua pro eodem Bisaniensi Episcopo scripsimus, et dicta sibi exhibetur provisio, ut superius est expressum, deberet alii Episcopo dicti Regni in provisione consimili provideri: nos volentes super hoc paterna sollicitudine providere, fraternitati tue mandamus, quatenus, si est ita, non obstantibus aliquibus litteris impetratis, cuiuscunque tenoris fuerint, vel etiam impetrandis, que de presentibus non fecerint expressam mentionem, in negotio provisionis eiusdem Episcopi in dicta provincia pretextu talis commissionis tibi facte ulterius non procedas, nec super ipsa provisione permittas Prelatos, Collegia seu alias personas Monasteriorum et Ecclesiarum eiusdem provincie aliquatenus molestari, contradictores et molestatores per censuram ecclesiasticam, appelatione postposita, compescendo. Non obstante, si aliquibus, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint, a Sede Apostolica sit indultum. Datum apud UrbemVeterem III. Nonas Septembris (Pontificatus nostri) anno tertio.

(IV. Orbán pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 278. l.)

74.

A IV. Béla és fia István király által választott birák a budai káptalannak a cseh-tói halászó-helyet, mely a zintai révnél fekszik, vissza adatni rendelik. 1264.

Nos Philippus Strigoniensis, Schmaragdus Colocensis Archiepiscopi, Rolandus Banus totius Sclavonie, Magister Mauritius Tavarnicorum Domini Regis — — — —, Ladislaus

Vayvoda Transylvanus, Magister Baas Iudex Curie Illistris Regis, iudices ab utrisque Regibus pro utilitate Regni deputati significamus quibus expedit universis, quod piscinam Ecclesie Budensis Chechtov*) vocatam portui Zyntha adiacentem, decreuimus restitui Ecclesie Budensi memorate a quocunque detentore sine aliqua difficultate iustitia mediante. In cuius rei memoriam perpetuam presentibus duximus sigilla nostra authentica apponenda. Datum in Insula Sancte Marie in Vigilia Ascensionis Domini, anno eiusdem 1264.

(A pannlonhami konvent könyvtárában levő „Esztergomi oklevelek czím alatti gyüjteményből *Ráth Károly.*)

75.

Fülöp esztergami érsek engedménye, hogy az erdélyi szebeni lelkészek számára az ottani esperestség legyen első folyamodáson egyházi hatósági. 1264.

Philippus miseratione Diuina Sancte Strigoniensis Ecclesie Archiepiscopus eiusdemque loci Comes perpetuus, aule Regis Cancellarius, vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Vestra nouerit vniuersitas, quod nos de gratia speciali, qua dilectos nobis in Christo filios Decanum et Plebanos de Scibinio, ad nos et Ecclesiam nostram immediate pertinentes, fovere, diligere et defendere tenemur eisdem indulsimus, vt nullus citationem, uel appellacionem, ad nos eciam ex legitimis causis interpositam contra aliquem uel aliquos eorum facere presumpmat, nisi prius Decano eorum secundum iuris ordinem requisito, et si idem Decanus in exhibenda iustitia insufficiens apparuerit, negligens uel remissus, vt tunc demum in huiusmodi casibus ad nostram presentiam licite citetur et etiam appelletur. In cuius rei testi-

---

*) A Tissa mellett.

monium presentes litteras concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Strigonii, anno Domini M°. CC°. sexagesimo. IIII. intrante Maio die sexto.

(Teutsch és Firnhaber, Urkundenbuch zur Geschichte Siebenbürgens; I. k. 79. l.)

76.

István prenestei bibornok püspök a pápa engedelméből Eventiusnak zágrábi kanonokságot adományoz. 1264.

Stephanus miseratione Divina Prenestinus Episcopus dilecto capellano suo Eventio presbitero salutem in Domino. Noveris nos recipisse litteras Apostolicas sub hac forma:

Urbanus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri . . . Episcopo Penestrino salutem et Apostolicam benedictionem. Tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, conferendi per te vel per alium aut alios personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates cum cura et sine cura, que dilectus filius Thimotheus Zagrabiensis Electus promotionis sue tempore in Regno Ungarie obtinebat, ac faciendi personas ipsas ad beneficia huiusmodi, si in Ecclesiis collegiatis fuerint, recipi in canonicos et in fratres, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi; non obstante certo ipsarum Ecclesiarum canonicorum numero, iuramento, confirmatione Sedis Apostolice sive quacunque firmitate vallato, aut si direximus in ea pro aliis scripta nostra, seu si Sedis eiusdem vel Legatorum ipsius aut quacunque auctoritate in eis in canonicos aliqui sunt recepti, vel ut recipiantur insistant, quibus per hoc quoad assecutionem aliorum beneficiorum, personatuum vel dignitatum preiudicium

nullum fiat, aut si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis, personatibus vel dignitatibus ad collationem eorum spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu qualibet alia indulgentia dicte Sedis, de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, aut quod eedem persone alias beneficiate existant, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum apud UrbemVeterem VII. Kal. Octobr. (Pontificatus nostri) anno tertio.

Harum igitur auctoritate litterarum canonicatum et prebendam, que venerabilis pater Timotheus Zagrabiensis Episcopus promotionis sue tempore in Zagrabiensi Ecclesia obtinebat vacantia per promotionem ipsius Episcopi, tibi cum domibus, curia et omnibus iuribus et pertinentiis suis conferimus et providemus de ipsis, te investientes presentialiter per nostrum annulum de eisdem. Non obstante certo ipsius Ecclesie canonicorum numero iuramento, confirmatione Sedis Apostolice, sive quacunque firmitate vallato, aut si dominus Papa in ea pro aliis direxerat scripta sua, seu si Sedis Apostolice vel Legatorum ipsius, aut quacunque auctoritate in ea in canonicos aliqui sint recepti, vel ut recipiantur insistant, quibus per hoc quo ad assecutionem aliorum beneficiorum, personatuum, vel dignitatum preiudicium nullum fiat, aut si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, quodque interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis, personatibus vel dignitatibus ad collationem eorum spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu qualibet alia indulgentia dicte Sedis, de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, aut si alias

beneficiatus existis; decernentes etiam auctoritate predicta irritum et inane, si secus de huiusmodi canonicatu et prebenda quavis auctoritate contigerit per aliquem attemptari. Actum in hospitio nostro apud UrbemVeterem, presentibus venerabilibus patribus Dei gratia A. Urgellensi et Timotheo Zagrabiensi Episcopis, fratre Bentevegna, fratre Gratia de Ordine Minorum, et magistro Roberto Cantore de Posega, domini Pape Subdiacono, capellanis nostris, Thomasino notario, Jacobino clerico et Guidone Bono familiaribus nostris, et pluribus testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Anno Domini MCCLXIIII. Pontificatus domini Urbani Pape IIII. anno tertio, Indictione VII. die primo Januarii. In cuius rei testimonium presens publicum instrumentum fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Et ego Angelus de Palliano Sancte Romane Ecclesie Scriniarius predictis interfui, et ea de mandato eiusdem domini Cardinalis subscripsi, et rogatus fideliter publicavi.

(IV. Orbán pápa megerősítő okmányából, mint fenebb 54. sz. a.)

77.

István prenesztei bibornokpüspök a pápa engedelméből saját unokaöccsének, János győri esperestnek a zalai esperestséget adományozza. 1264.

Stephanus miseratione Divina Penestrinus Episcopus dilecto nepoti suo Joanni Archidiacono Jauriensi, domini Pape Capellano, salutem in Domino. Noveritis nos recepisse litteras Apostolicas in hac forma:

Urbanus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri ... Episcopo Penestrino, salutem et Apostolicam be-

nedictionem. Tuam volentes honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis providere, conferendi per te, vel per alium aut alios personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates cum cura et sine cura, que dilectus filius Tymotheus Zagrabiensis Electus promotionis sue tempore in Regno Ungarie obtinebat, ac faciendi personas ipsas ad beneficia huiusmodi, si in Ecclesiis collegatis fuerint, recipi in Canonicos et in fratres, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstante certo Ecclesiarum ipsarum Canonicorum numero iuramento, confirmatione Apostolice Sedis sive quacunque firmitate vallato, aut si dreximus in ea pro aliis scripta nostra, seu si Sedis eiusdem vel Legatorum ipsius aut quacunque auctoritate in eis in Canonicos aliqui sunt recepti, vel ut recipiantur, insistant, quibus per hoc quo a assecutionem aliorum beneficiorum, personatuum vel dignitatum preiudicium nullum fiat, aut si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, quodque interdici, suspendi et excommunicari non possint, et quod de beneficiis, personatibus, vel dignitatibus ad collationem eorum spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu qualibet alia indulgentia dicte Sedis, de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, aut quod eedem persone alias beneficiate existant, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum apud UrbemVeterem VII. Kal. Octobris (Pontificatus nostri) anno tertio.

Harum igitur aucteritate litterarum Archidiaconatum Zaladiensem, Canonicatum et prebendam, quos venerabilis pater Tymotheus Zagrabiensis Episcopus promotionis sue tempore in Vesprimiensi Ecclesia obtinebat, vacantes per promotionem ipsius Episcopi, tibi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis conferimus, et providemus de ipsis, dilectum notarium nostrum Thomasinum tuo nomine investientes per nostrum annulum de eisdem. Non obstante certo ipsius Eccle-

sie Canonicorum numero iuramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quacunque firmitate vallato, aut si dominus Papa in ea pro aliis direxerit scripta sua, seu si Sedis Apostolice vel Legatorum ipsius aut quacunque auctoritate in ea in Canonicos aliqui sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, quibus per hoc quoad assecutionem aliorum beneficiorum, personatuum vel dignitatum preiudicium nullum fiat, aut si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneautur, et ad id compelli, quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis, personatibus vel dignitatibus ad collationem eorum spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu qualibet alia indulgentia dicte Sedis, de qua cuiusqne toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat, vel differri, aut quod alias beneficiatus existas; decernentes etiam auctoritate predicta irritum et inane, si secus de huiusmodi Archidiaconatu, Cannonicatu et prebenda, quavis auctoritate contigerit per aliquem attemptari. Actum apud UrbemVeterem in hospitio nostro, presentibus venerabilibus patribus Dei gratia A. Urgellensi, et Tymotheo Zagrabiensi Episcopis, fratre Bentevegna, fratre Gratia de Minorum et magistro Roberto Cantore de Posega, domini Pape Subdicano, Capellanis nostris; Thomasino notario, Jacobino clerico et Guidone Bono familiaribus nostris, et pluribus testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis, anno Domini MCCLXIIII. Pontificatus domini Urbani Pape IIII. anno tertio, Indictione VII., die primo Januarii In cuius rei testimonium presens publicum instrumentum fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Et ego Angelus de Palliano Sancte Romane Ecclesie Scriniarius predictis interfui, et ea de mandato eiusdem domini Cardinalis scripsi et rogatus fideliter publicavi.

(Orbán pápa megerősítő okmányából, melyet láss fenebb 56. sz. a.)

78.

István preneszteti bibornokpüspök a pápa engedelméből Girold óvári papnak néhány kápolnát adományoz. 1264.

Stephanus miseratione Divina Penestrinus Episcopus dilecto sibi in Christo Giroldo de Owad (Óvár) Clerico Jauriensis Diocesis, nepoti venerabilis patris . . . Episcopi Zagrabiensis, salutem in Domino. Noveris nos recepisse litteras Apostolicas sub hac forma :

Urbanus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri . . . Episcopo Penestrino salutem et Apostolicam benedictionem. Tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, conferendi per te, vel per alium aut alios personis idoneis beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates cum cura et sine cura, que dilectus filius Tymotheus Zagrabiensis Electus promotionis sue tempore in Ungaria obtinebat, ac faciendi personas ipsas ad beneficia huiusmodi, si in Ecclesiis collegiatis fuerint, recipi in Canonicos et in fratres, nec non contradictores etc. compelli; non obstante certo Ecclesiarum ipsarum Canonicorum numero iuramento, confirmatione Sedis Apostolice sive quacunque firmitate vallato, aut si direximus in ea pro aliis scripta nostra, seu si Sedis eiusdem vel Legatorum ipsius aut quacunque auctoritate in eis in canonicos aliqui sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, quibus per hoc quoad assecutionem aliorum beneficiorum, personatuum, vel dignitatum preiudicium nullum fiat, aut si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, quodque interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis, personatibus vel dignitatibus ad collationem eorum spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu qualibet alia indulgentia dicte Sedis, de qua

cuiusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, aut quod eedem persone alias beneficiate existant; fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum apud UrbemVeterem VII. Kal. Octobris (Pontificatus nostri) anno tertio.

Harum igitur litterarum auctoritate Capellas Sancti Laurentii de Villa Files, Sancti Demetrii de Boron, Omnium sanctorum de Nigwan et Sancti Martini de minore Mortin, quas venerabilis pater Timotheus Zagabriensis Episcopus promotionis sue tempore in Jauriensi Diocesi obtinebat, vacantes per promotionem ipsius Episcopi tibi conferimus, et providemus de ipsis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, teque de ipsis per nostrum aunulum presentialiter investimus; non obstante certo ipsius Ecclesie canonicorum numero iuramento, confirmatione Sedis Apostolice sive quacunque firmitate vallato, aut si dominus Papa in ea pro aliis direxerit scripta sua, vel si Sedis Apostolice vel Legatorum ipsius aut quacunque auctoritate in ea in canonicos aliqui sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, quibus per hoc quoad assecutionem aliorum beneficiorum, personatuum, vel dignitatum preiudicium nullum fiat, aut si est aliquibus ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis, personatibus ad eorum collationem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, seu qualibet alia indulgentia dicte Sedis, de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus presentium impediri valeat vel differi; decernentes etiam auctoritate predicta irritum et inane, si secus de huiusmodi Capellis quavis auctoritate contigerit per aliquem attemptari. Actum apud UrbemVeterem in canonica nostra anno nativitatis Domini MCCLXIII. mense Januario die octava intrante, presentibus Benedicto, Guidone Bono, et Jacobino familiaribus nostris et pluribus aliis ad hoc vocatis et rogatis testibus.

In cuius rei testimonium presens publicum instrumentum per Thomasinum infrascriptum notarium nostrum scribi et publicari mandavimus, et nostri sigilli appensione muniri. Et ego de Podio auctoritate Apostolice Sedis Judex et Notarius publicus, qui predictis interfui, dc mandato predicti domini Cardinalis predicta scripsi et publicavi, et signo meo signavi.

(IV. Orbán pápa megerősítő okmányából, mint fenebb 61. sz. a.)

79.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy Osl nemzetségü János a nejének Biburnak járó hitbér fejében Zupur nevü földet átengedte. 1264.

Capitulum Ecclesie Jauriensis, universis presencium inspectoribus salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Johanne filio Stephani de generacione Osl ex una parte, et domina Bybur filia Stephani de Jakua uxore eiusdem Johannis ex altera coram nobis comparentibus, idem Johannes prefate domine Bybur uxori sue pro dote et rebus parafernalibus eiusdem dedit et assignavit quandam terram suam empticiam Zupur nominatam in Comitatu Supruniensi a quodam jobagione castri Supruniensis Hemirico nomine, sicut dycit, comparatam. Qua recepta ipsa domina super premissis dote et rebus suis parafernalibus esse asseruit se contentam. Verum in eodem instanti ipsa domina eandem terram Zupur vendidit Comiti Georgio filio Mauricij de Cherna, pro quo Stephanus filius Heym de Dwr comparuit coram nobis, receptis pro eadem sedecim marcis, perpetuo pacifice possidendam. Cuius quidem terre mete, sicut idem Johannes recitavit, hoc ordine distinguuntur. Incipit prima meta a plaga orientali in commetaneitate ville Chalad in quodam virgulto,

et tendit ad Zupur villam jobagionum, ubi sunt due mete; hinc vergit versus meridiem ad Kyreztyen villam Cruciferorum, et ibi sunt due mete; abinde venit ad septemtrionalem plagam, ad Ker villam jobagionum, ubi sunt similiter due mete; inde venit iterum ad orientem ad primam metam, ubi orditur, et ibi conterminium recipit ipsa terra. In cuius rei memoriam ad parcium peticionem presentes dedimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Anno gracie millesimo ducentesimo sexagesimo quarto; Chepano Preposito, Jurkone Cantore, Hectore Custode existentibus.

(Az eredeti hártyára van írva, róla vereses selyemzsinór függ, melyről a pecsét már leporlott; a felső szélén a szokott A B. C. kötbetűk fele részei. Közölte Paur Iván az Új M. Muzeumban 1855. I. k. 399. l.)

80.

A hanti káptalannak varsányi föld osztályozásáról szóló bizonyságlevele. 1264.

Capitulum Ecclesie Hantensis omnibus presentes litteras inspecturis tam presentibus quam futuris salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Johannes filius Petri de Wosian exhibuit nobis litteras magistri Laurencii Judicis nobilium Magistratus Zaladiensis in hac forma: Quod cum Nicolao — — — homine suo hominem nostrum mitteremus, coram quibus ipse Johannes terram Wosyan diuideret in duas partes, quarum vnam Paulus, Stephanus, Jacobus, Marcus et Matheus filii Posa, Thomas filius Chyrd et Dominicus filius Seeg sibi eligerent, altera parte supra dicto Johanni et suis fratribus remanente, prout iudiciali ordine fuerat prosecutum. Nos autem ad ipsius peticionem et iuris ordine deposcente pro maiori cautela vnum ex nobis transmisimus, qui ad nos re-

uersus cum Johanne, prefato Stephano et Dominico ex aduersa parte, in quorum disposicionem et factum in ipsius presencia Paulus, Jacobus, Marcus et Mattheus, Thomas et Domi nicus voluntatem suam et verba commiserant, confessus est, quod ipsam terram prefatus Johannes diuiserit respectu vtilitatis sue in partem maiorem et minorem, de quibus nominati Stephanus et socii sui minorem partem ipsius terre pro faciliori et vtiliori statu elegissent, ampliori et laciori parte irreuocabiliter in forma pacis iam dicto Johanni cum suis fratribus, Petro videlicet et Nicolao in filios filiorem remanente. Cuius equidem diuisionis seriem et cursus metarum idem noster concanonicus ad hoc deputatus, vt diximus, presentibus partibus retulit seriatim. Prima meta angulosa incipit ab occidente in feneto et tendit ad partem aquilonis ad quandam metam terream, que scilicet meta terrea et angulosa procedendo iuxta terram filiorum Poca diuidit inter partem ipsius Johannis et cognatorum suorum prefatorum; abinde transit per montem, vbi sunt mete terree; exinde transeundo quandam vallem Tekeneud vocatam iterato ascendit in montem, vbi sunt due mete diuidentes inter partes; deinde vero procedit ad quendam collem Kumoloumal dictum, in cuius fine mete sunt iuxta viam ex parte orientis; deinde postmodum veniendo procedit per medium virgulti Monorud vocati descendendo ad vallem, vbi sunt mete terree et finales. Preterea diuiserunt parcium voluntate similiter in duas partes siluam quandam, que est sita ex parte Scech, de cuius medietas, que est ex parte vduornicorum, cesserit Johanni et fratribus suis supradictis, vt in terra, altera parte parti aduerse remanente. Ad robur igitur et statum irreuocabilem disposicionis et diuisionis pretaxate tenore nostrarum litterarum presencialium apposito eciam iudicium decem marcarum se partes coram nobis obligarunt, si que earum de hoc facto resiliret. Nos autem ad instanciam parcium presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas Datum anno Domini M°. CC°. LX°. IIII°. Hyacinto Preposito, Farcasio Lectore, Hanta Custode, Chya Decano existentibus.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

81.

IV. Béla király Hricsó várát Miklósnak, a Beych nemzetség ivadékának, adományozza. 1265.

(B)ELA Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chorowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in salutis largitore. Circumspeccio sollicitudinis omnium commodis invigilat subditorum; sed eos fauore prosequitur ampliori, qui se suis seruiciis a puericie sue temporibus deuouerunt, et sicut etatis incrementum, ita et virtutum profectum in domo Regia perceperunt. Cum igitur Nicolaus filius Pauli de genere Beych, nepos dilecti et fidelis nostri magistri Farcasii Electi in Prepositum Albensem, aule nostre Vice-Cancellarium, a puericie sue temporibus nostris fuerit obsequiis commendatus, bona indole pollens in pPuericia, meliori in adolescencia, optima in iuuentute, gratum nobis semper exhibuit seruicium et sedulum famulatum. Nos itaque ipsius merita attendentes, in recompensam nobis exhibiti famulatus Castrum Hrichou cum possessionibus, villis, vtilitatibus, pertinenciis et attinenciis suis, quod castrum et quas possessiones quondam Tolus filio Farcasii duxeramus liberalitate Regia conferendum et conferendas, et posthec ipso decedente sine herede ad manus Regias reciderunt, secundum Regni consuetudinem approbatam ipsi Nicolao, et per ipsum suis heredibus heredumque successoribus sub veris metis et antiquis contulimus, dedimus et assignauimus iure perpetuo, quiete et pacifice possidenda. In cuius castri et villarum collacionis memoriam et robur perpetuum presentes nostras dedimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Ph(ilippi) Sancte Strigoniensis Ecclesie Archiepiscopi aule nostre Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ducentesimo

sexagesimo quinto, in Kalendis Augusti, Regni autem nostri anno tricesimo.

Et ne aliqua suspicio de presentibus litteris oriri valeat, pro eo, quod, ut premisimus, Nicolaus, cui castrum et villas contulimus, magistro Farcasio Electo in Prepositum Albensem, aule nostre Vice-Cancellarium attinet, ad cautelam sigillum autenticum ipsius venerabilis patris Ph. Archiepiscopi Strigoniensis, Cancellarii nostri, iuxta nostrum duplex sigillum apponi ex certa sciencia fecimus et appendi.

(A bőrhártyán írt eredeti után, melyről a király és Fülöp esztergami érsek pecsétei függnek.)

82.

IV. Béla király a győri püspöknek megparancsolja, hogy a bakonybéli apátságot tizedjogában ne háborgassa. 1265. körül.

Bela Dei gracia Hungarie Rex venerabili patri D. per eandem Episcopo Jauriensi dilecto et fideli suo salutem et graciam plenam. Ex conquestione Conuentus Monasterii nostri de Beel intelleximus, quod vos nitimini contra iusticiam vsurpare decimas populorum suorum de Koyar, quas a tempore, cuius non extat memoria monasterium nostrum de Beel possedit pacifice ac possidet, et super hoc priores litteras, quas vobis miseramus, acceptare, sicut nobis dicitur, noluistis. Verum cum idem Monasterium ab antiquo semper fuerit in pacifica possessione et percepcione decimarum earundem, et tutum sit prescripcione, uosque super hoc et aliis ius vobis dicere non debeatis; volumus et mandamus paternitati vestre diligenter requirendo, quatenus ab huiusmodi indebita vsurpacione seu occupacione decimarum Monasterii nostri supradicti penitus desistatis. Si quid autem iuris vos habere creditis in eisdem, super hoc ordine judicario pote-

ritis experiri. Preterea de verberacione tributarij ipsius Mo nasterii nostri, quem enormiter verberari fecisse dicimini, quod non credimus, eidem faciatis exhiberi congruam satisfaccionem et omnimodam. Aliud sicut nostram graciam charam habetis, non facturi, ne nobis de huiusmodi amplius querimonia dicti Conuentus porrigatur. Religionis enim humilitas et vestre virtus paciencie id requirit, quod non per violenciam, sed iuris observanciam ius vestrum et vestre Ecclesie requiratis, cum restringenda sit sub racione potestas; maxime vbi debet Maiestas Regia reuereri. Datum in Fyzegtu in festo Sancti Demetrii.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

83.

István ifjabb király megerősíti Lörincz erdélyi vajdának 1248. Alvincz számára kiadott szabadságlevelét. 1265.

Stephanus Dei gracia Rex Hungarie, Dux Transsilvanus, Dominus Comanorum universis tam presentibus quam futuris presentes litteras inspecturis salutem in omnium Salvatore. Cum in multitudine plebis honor Regum accendatur et accrescat, merito Regalis consueuit sublimitas hospites sibi subditos libertatibus premunire et reficere donatiuis. Hinc est igitur, quod ad universorum presencium posterorumque noticiam harum serie volumus pervenire, quod fideles hospites nostri de Wynch ad nos accedentes, nobis litteras dilecti fidelis nostri Laurencii, condam Waywode Transsilvani et Comitis de Wolkow, nunc Magistri Tavernicorum nostrorum presentarunt, petentes a nobis humiliter, ut libertatem ac consuetudinem ipsorum in eisdem litteris contentam, ab eodem Laurencio tempore sui Waiwodatus ordinatam nostro privilegio confirmare dignaremur. Nos siquidem

precibus ipsorum inclinati continenciam predictarum litterarum de verbo ad verbum rescribi facientes hijs duximus advocandam. Que talis est:

Nos Laurencius stb. (Lőrincz erdélyi vajdának 1248-ki okmánya olvasható Fejérnél Cod. Dipl. VII. k. I. r. 294. l.)

Nos vero predictam libertatem per singula approbantes presenti privilegio nostro duximus confirmandam; et ut ijdem hospites nostri de cetero congregentur et congregati facilius commorentur, omnes terras ipsorum, scilicet terram Vubul, sine herede decedentis, Marie Magdalene que Telukwynch dicitur, et terram Pad Saxonicam, et Pad Hungaricam, usque ad terram Capituli Albensis de parte Pokluspatak, preter terram Abbatis de Bezered, cum silvis, aquis, pratis et sessionibus villarum quocunque nomine censentur, que infra dictas terras includuntur, quas ab antiquo usque ad hec tempora, ipso Laurencio Magistro presente, se tenuisse asseruerunt, pacifice eisdem dimisimus possidendas, statuentes premissa per Banos nostros pro tempore constitutos inviolabiliter et misericorditer observari nil ultra libertatem ipsorum attemptari. Et ut hec libertas eorundem perpetuo perseveret, nec per quempiam valeat revocari, presentes eisdem hospitibus nostris de Wynch concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas, Datum per manus magistri Lodomerii, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° sexagesimo quinto.

(Zsigmond király 1421-ki megerősítő privilegiumából, Teutsch és Firnhaber Urkundenbuch zur Geschichte Siebenbürgens. I. k. 81. l.)

84.

István ifjabb király Gragyssa nevü birtokra vonatkozó adományа. 1265 körül.

Nos St(ephanus) Dei gracia junior Rex Hungarie, Dux Transsiluanus et Dominus Comanorum tenore presencium significamus vniuersis, quod Myke et Zalauth filijs Michaelis fidelibus nostris pro meritis seruiciorum suorum terram Gragyssa vocatam vacuam ad duo aratra sufficientem Castri nostri de Wngh iuxta terram hereditariam eorundem Bees vocatam existentem contulimus perpetuo possidendam. Datum in Bel quarto die post fe:tum Assumpcionis Beate Virginis.

(IV. László király 1284-ki megerősítő okmányából.)

85.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy Kolochi Péter Koloch birtokát Herbort grófnak eladta. 1265.

Capitulum Ecclesie Jauriensis omnibus presentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Petro filio Petri de Coloch in Comitatu Sproniensi ex una parte, et Mark de Vönöcz serviente nobilis viri Comitis Herbordj filii Osl pro eodem Comite Herbordo domino suo ex altera coram nobis personaliter constitutis, idem Petrus quandam particulam de terra sua hereditaria Coloch vocata ab

eadem a parte orientali versus Sceplok distinctam, terram scilicet quatvor aratrorum in commetaneitate terre Pauli filii Martini a meridie, terre Sceplok prefate ab oriente, terre Marcel a septemtrione, et terre sue Coloch supradicte ab occidente, sicut asserit, existentem et in districtibus earundem commetaneitatum divisam undique certis metis, cujus quidem terre medietatem, terram scilicet duorum aratrorum asserit virgultosam, reliquam medietatem terre arabilem esse dicens, vendidit Comiti Herbordo memorato perpetuo pacifice possidendam pro decem et octo marcis, quas ab eo se confessus est plenarie recepisse, partim in estimatione, partim autem in negocio pro qualibet marca decem pensis denariorum Viennensium computatis. Assummendo, ut si quispiam dictum Comitem Herbordum occasione ipsius terre quatvor aratrorum inquietare voluerit, ipse eundem propriis laboribus et expensis debeat expedire. In cujus rei memoriam ad peticionem parcium presentes dedimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo sexagesimo quinto. Chepano Preposito, Jurkone Cantore, Hectore Custode existentibus.

(Az eredeti után. *Czech.*)

86.

A vasvári káptalannak Hobay nevü föld határjárására vonatkozó bizonyságlevele. 1265.

A. B. C. D.

Nos Capitulum Ecclesie Sancti Michaelis de Castro Ferreo notum facimus tenore presencium universis, quod Alexander pro Agabith patre suo, et Egidio ac Suluyno filijs Pous, et pro se; item Stephano filio Pauli de Byk, ex debito in litteris Henrici Palatini, que nobis patuerunt, compre-

henso in nostre universitatis presencia constituti, terram unius aratri de terra Hobay ad tria aratra sufficienti retulerunt permisisse relinquentes Clementino in presenciarum posito filio Mixe de Hubay iuxta contencionem in duello coram nominato Palatino habitam post produccionem testium suorum, prout in eisdem litteris continebatur evidenter, in perpetuum pacifice et quiete possidendam. Partes itaque premisse unum ex nobis pro testimonio assumserunt ad ipsam terram unius aratri Clementino prefato devolutam metis certis abdicandam. Quibus redeuntibus cum ipso uno ex nobis pro testimonio dèstinato situacionem metarum ipsis docentibus didicimus in hunc modum: Quod prima meta incipit de commetaneitate predicti H(enrici) Palatini iuxta fluvium Repce a meridie, ubi in medio duarum ilicum est meta terrea; inde progreditur versus septemtrionem, et pervenit ad unam pirum meta cumulatam; inde vadit ad viam graminosam (mies ut, jelenleg is megvan emléke, de a tagosztály létét megszüntette), que est in medio nemoris, ubi est meta terrea; abinde protenditur ultra quosdam fluvios *feketeewr* vocatos ad unum pratum, et ibi est meta in dumo ilico; inde vadit ad viam publicam, et ibi in dumo spineo est meta; abinde protenditur ad metas angulares, ex quibus regirat versus meridiem iuxta commetaneitatem cruciferorum de Buu pervenit ad fluvium antedictum, et metam antescriptam, ibique terminatur. Item ipsi Alexander et Stephanus tam pro se tam pro illis quibus aderant dixerunt ipsum Clementinum esse et eius predecessores verum et nobilem iobagionem castri et fuisse, sicut et ipsi sunt ac predecessores fuerunt eorundem, obligantibus eciam isdem Alexandro et Stephano se ac universos pro quibus astiterunt, Clementinum prefatum et eius successores ab omnibus impetere volentibus racione ipsius terre unius aratri per omnia defensuros. In cuius rei memoriam pleniorem presens scriptum contulimus nostro sigillo communitum. Anno gracie M-o CC-o LX-o quinto magisto Bonaventura preposito nostro, Oliverio Cantore, Ombud Custode, Marco Decano existentibus.

(Az eredeti után közölte Paur Iván az 1855-ki Magy. Sajtó 50. számában.)

87.

A veszprémi káptalan az Ilia nemzetség tagjai közt történt osztályról tesz bizonyságot. 1265.

Capitulum Wesprimiensis Ecclesie omnibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod accedentes ad nostram presenciam Comes Ipolitus, et Vgra filius eiusdem de genere Ilia ex vna parte, Leustachius et Stephanus cognati eorundem ex altera, in terris ipsorum, scilicet octo villarum hereditariis, quarum nomina sunt hec : Pathycha, Villa Sancti Martini, Zyluas, Enderelaka, Villa Sancti Johannis, Chekuneteluk, Ilia et Dombrod talem inter se diuisionem fecisse dixerunt, et ipsas terras talibus metis et terminis esse separatas : Prima meta incipit iuxta fluuium Zyluas de oriente sub quadam arbore, que wlgo *gemelchen* nuncupatur, et transit per terram fimosam, et directe per unam viam, tamen in medietate dictarum villarum scilicet Sancti Martini et Pethecha iungit aliam metam, deinde terciam; postea tendit ad arborem kercum per montem, et sub eadem arbore est meta supra et infra, et descendit per unam vallem, cuius nomen Chutuk, et per eandem ascendit ad montem, super quo tangit duas metas, scilicet nouam et antiquam; et inde vergit ad aquam Pathycha supradictam; et inde vadit ad arborem fagum, sub qua est meta, ubi equabitur cum aqua Pathycha sepedicta, et de eadem vadit ad partem meridionalem et tendens per eandem iungit unam vallem, et vadit iterato ad partem occidentalem, et inde in caput cuiusdam vallis, que wlgo Azov dicitur, in qua est meta, et postea tendit uersus occidentem vbi cadit in magnam viam; deinde versus meridionalem plagam, et tendens parumper iungit metam iuxta viam existentem, et inde tangit metam, que est secus eandem viam, et tantum meta et magna via easdem duas terras disscernunt ab Enderelaka, que est de

occidentali parte, et Sancti Johannis, que est de occidentali, et inde iungit metam secus eandem viam erectam; deinde tangit aliam, que est sita sub vna arbore que *berekune* uocitatur in Hungarico; postea vero protenditur ad unam metam iuxta viam supradictam, que est sub quadam arbore, que *gartan* nominatur; deinde iungit aliam arborem kercum, et ibi est meta a parte meridionali, et versus eandem tendit ad plagam occidentalem et descendit in fluuium Egrug, ubi tangit metam Gregorij, alia uero parte meridionali vadit ad aquilonem, et ibi disscernuntur due possessiones scilicet Checeneteluke et Sancti Johannis, et inde tangit duas arbores, quarum una fagus, sub qua sunt due mete, una in terra, et altera in arbore; et transiens unam uiam vadit ad aquilonem, tendens per quandam siluam uersus aquilonem, ubi sunt due mete, una in terra et altera in arbore; et inde vadit ad arborem pomi, vbi iungit duas arbores, quarum una *byk* in Hungarico, Latine vero fagus nominatur, sub qua sunt due mete, una in arbore et altera in terra; et inde iungit arborem fagum, sub qua est una meta, et exit de silua ad campum, ubi est meta; deinde vadit ad arborem cerasi, ubi iungit arborem fagum, sub qua est meta; deinde tangit aliam arborem, cuius nomen *jegune* circa piscinam Sancti Johannis, et transiens viam, per quam itur ad ecclesiam, et ibi est meta, ubi tangit arborem kercum, sub qua est meta inter duas vineas Leustachii et ecclesie Sancti Johannis; deinde pertenditur ad arborem kerkum, sub qua est meta, et vadit ad duas arbores kercus, prope quas est meta, et transiens viam uadit ad arborem tyliam, et transiens vnam metam, in qua sunt due arbores, quarum una ylex et altera kercus, prope quas iungit metam, in qua est ylex, et tendit ad metam aliam, in qua est ylex; et iuxta metas terrarum Zend finiuntur mete duarum possessionum, scilicet Sancti Johannis et Chukuneteluk; ab aqua, que currit de Sancto Johanne exit ad unam metam de feneto Weren a parte meridionali, et tendens ad occidentalem plagam parumper, et ibi cadit in unam viam, que vadit versus aquilonem, tendens per unam siluam iuxta eandem viam, et de eadem tendit ad occidentem iungens unam metam, in qua est arbor sylex, et tendens vadit ad unam metam, in qua est arbor fagus iungens arbo-

rem pomi; deinde vadit ad arborem tyliam et asscendit in montem iungens metam, in qua sunt due arbores de ilice; et inde uadit ad tyliam ad Besenewzov, et ab eadem ad quandam pomum, et transiens per terram fimosam iungit fenetum, in quo est arbor, que wlgo dicitur *egur*, et transiens aquam nomine Gualaya, venit ad pratum ad partem occidentalem; et inde iuxta fenetum uadit ad meridionalem partem ad molendinum Nulod; et ab illo vadit ad aquam Gualaya, et exiens de eadem aqua uadit ad partem meridionalem per riuulum Egrug, et ab eodem ad arborem tylie; ab illa autem ad pratum tendens ad arborem *egur* dictam, et transiens per tyliam venit ad arborem ylicis, de qua uadit per siluam ad occidentalem partem ad quandam pomum, de qua est ad arborem *jegune* dictam, de qua iungit duas metas; et hoc ordine distinctio metarum terminatur. Terra autem Pathycha ab aquilone pertinebit Comiti Ipolito et terram de Sancto Martino a parte meridionali Leustachius et Stephanus optinebunt. Item terram Zyluas Comes Ipolitus integraliter possidebit. Item terram Enderelaka Leustachius et Stephanus habebunt. Item terra de Sancto Johanne Comiti Ipolito est deuoluta; terram autem Chukuneteluke Leustachius et Stephanus possidebunt; et sicut mete disscernuntur mansionem Comes Ipolitus, que est in Ylia possidebit; mansionem seu locum cum loco Endere habebunt Leustachius et Stephanus. Adjecerunt eciam, quod ne utra parcium in porcionem alterius partis racione concambij faciendi uel racione permutacionis seu quocunque alio modo contra partem alteram habere vel susscitare poterit accionem. In cuius rey testimonium presentes litteras concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini M° CC° LX° quinto. Reuerendo in Christo patre et domino nostro Paulo Episcopo Ecclesie nostre, Fauno Preposito, Paulo Cantore, Paulo Lectore, Johanne Custode existentibus.

(Eredetie a magyar nemzeti Muzeumban.)

88.

IV. Béla király István ifj. királylyal kibékül. 1266.

Nos Bela Dei gracia Rex Ungarie innotescimus uniuersis presencium per tenorem, quod carissimum nostrum filium Stephanum, Ducem Transilvanum, Dominum Cumanorum, recepimus ad plenam dileccionem nostram paternam et amorem sincerum, quo pater consueuit dilectum filium amplexari. Idem quoque Rex Stephanus nobis promisit exhibere in omnibus reuerenciam et obedienciam filialem. Preter illa igitur, que primitus inter nos et ipsum filium nostrum carissimum ordinata, statuta seu stabilita sunt, impresenciarum ordinamus mutuo consensu et communi voluntate, quod omnes cause tam civiles quam criminales, que homines ad nos spectantes hominibus Regis Stephani, carissimi filii nostri, moverint, vel homines ad ipsum Regem Stephanum spectantes moverint contra nostros, nos ipsi, et non alii judices nostri aut Barones cognoscemus et iudicabimus, assidente nobis Barone eiusdem Regis Stephani, quem ad hoc specialiter duxerit deputandum. Similiter autem Rex Stephanus, carissimus filius noster, omnes causas tam criminales quam civiles in suo regimine emergentes, que vel homines ad ipsum spectantes moverint contra nostros, vel e converso nostri moverint contra suos, ipse idem Rex Stephanus cognoscet et iudicabit, et non alii judices sui vel Barones, assidente sibi nostro Barone ad hoc specialiter deputato. Hoc expresso, quod nec nos mittemus, nec predictus filius noster Rex Stephanus mittet procuratores, vel promotores seu propositores proponendarum vel exercendarum litium vel causarum, sed principales persone factum proponant et suam iusticiam prosequantur, et nos et filius noster carissimus causas propositas secundum racionabilem, et approbatam Regni nostri consuetudinem iudi cabimus et sentencialiter dirimemus. Providentes eciam subiectorum nostrorum commodis, statuimus, ut omnes cause hinc

emergentes in tribus terminis tantummodo et non pluribus, videlicet in media Quadragesima, in festo Nativitatis Beate Virginis, et in festo Sancti Nicolai per nos et per ipsum Regem Stephanum filium nostrum carissimum tractentur, iudicentur et decidantur modo superius comprehenso, iudiciis, in quibus partes condempnate fuerint, suis ordinariis reservatis. Item cum citacio fieri debet domini terrarum seu possessionum, officiales, iudices seu villici, non ville, non omnes vel plures de villa, vel ciues sunt ad iudicium evocandi : et si qui fures vel malefactores fuerint nominati in villis seu possessionibus, quibus presunt, ipsi vel eos statuent in iudicio, vel pro eis respondere tenebuntur. Ordinavimus etiam, quod super populos Baronum servientum Regis Stephani, carissimi filii nostri, nullam collectam racione lucri Camere, vel aliquo alio pretextu faciemus, aut fieri permittemus, nec victualia aut aliquid nomine victualium exigemus aut exigi patiemur. Ad opus etiam castri vel castrorum edificandi vel edificandorum eos non compellemus, nec eis huiusmodi operis seu edificii nomine collectam aliquam indicemus. Evecciones eciam vel vecturas ab eis nullatenus requiremus, nec aliquatenus imponemus. Descensum eciam super populos Baronum vel seruientum ipsius Regis Stephani, carissimi filii nostri, non faciemus, nec aliquid descensus nomine exigemus; sed si casualiter in villis aliquorum Baronum vel servientum ipsius Regis Stephani descendere nos contingat, victualia, fenum, stramina et ligna, sine quibus esse non possumus, ad plenum persolvemus et persolvi faciemus. Ceterum si aliquis Baronum nostrorum contra ordinacionem nostram super populos, aut villas Baronum seu servientum Regis Stephani descensum fecerit, expensam factam vel dampnum datum cum pena dupli tenebitur resarcire. Que omnia et singula carissimus filius noster Rex Stephanus Baronibus et servientibus nostris, in suo regimine constitutis, ad plenum observabit, faciet et attendet. Promisimus insuper predicto filio nostro carissimo, quod nec nos, nec domina Regina, consors nostra carissima, alliciemus, sollicitabimus, aut recipiemus Cumanos, Barones, servientes vel aliquos homines suos preter rusticos et villanos : qui filius noster similiter promisit nobis non sollicitare, allicere et recipere

Barones, servientes, nobiles et alios homines nostros preter ruricolas inhabitandi gratia transmigrantes. Adiectum eciam est premissis, quod si aliquis vel aliqui a nobis, vel a Regno nostro ad filium nostrum predictum vel ipsius regimen, vel econverso de filio nostro vel eius regimine ad nos, vel ad Regnum nostrum perpatrato aliquo maleficio se transferret vel transferrent, et nos et predictus filius noster, alteruter nostrum alterutri de huiusmodi facinorosis hominibus iusticiam, satisfaccionem et emendam faciet, et prestabit requisitus. Promittimus eciam una cum domina Regina, carissima consorte nostra, Duce Bela, filio nostro predilecto, et domina Anna Ducissa, filia nostra carissima, concordiam, pacem et unionem habitam, initam et conventam cum Rege Stephano, filio nostro carissimo, habere, tenere et inviolabiliter observare, cum suis cognatis et amicis, nec eos, terras ipsorum vel homines ad eos spectantes offendere, ledere vel in aliquo molestare: et idem Rex carissimus filius noster promisit, quod nec ipse, nec sui cognati, vel amici nos, dominam Reginam, consortem nostram carissimam, matrem suam, Ducem Belam, filium nostrum predilectum, fratrem suum, dominam Annam Ducissam, sororem suam, Ducem Belam, filium eiusdem, Regem Boemorum, generum ipsius et nostrum, Bolizlaum Cracovie, Bolyzlaum Gnezdensem, Lynznyk filium Ducis Cazmerii Duces, nec terras ipsorum vel homines ad eos spectantes, et quoslibet alios nobis adherentes molestabit, turbabit vel aliquatenus impugnabit. Ordinavimus eciam cum eodem carissimo filio nostro, ut possessionum, terrarum Baronum, nobilium, ecclesiarum, monasteriorum hinc inde ablatarum celeris fiat restitutio per nos in Regno nostro, eiusdem filii nostri homine presente; in regimine vero filii nostri Regis Stephani per ipsum filium nostrum, homine nostro presente, dummodo constet, terras et possessiones, que ablate dicuntur, eorum fuisse, qui se asserunt eis indebite spoliatos. Ut autem premissa et singula premissorum illibate et inviolabiliter observentur nos et predictus filius noster, venerabili patre (Philippus) Strigoniensi Archiepiscopo presente et codicem Evangeliorum tenente, iuramus corporaliter tactis Sacrosanctis Evangeliis et Vivifice Dominice Crucis ligno. Ad superhabundantem eciam cautelam prefatus venerabilis pa-

ter Strigoniensis Archiepiscopus, nobis volentibus et cum instancia requirentibus, tulit in scriptis sentenciam excommunicacionis in nos presentes processu temporis omnium, vel cuiusvis articulorum in premissis comprehensorum violatores, transgressores, temeratores et quovis ingenio contemptores: ita ut si aliquis nostrum contra ordinacionem premissam venerit, et in sentenciam per ipsum Strigoniensem Archiepiscopum prefato modo latam inciderit, non de novo per prefatum Archiepiscopum excommunicari debebit, cum ipso facto iam sit excommunicatus, sed excommunicatus denunciari publice et periurus; et ipse Archiepiscopus impresenciarum constitutus, nobis petentibus, promisit firmiter sine delectu alterius partis denunciacionem huiusmodi, cum transgressor apparuerit, se facturum. Actum et datum in Insula Beate Virginis anno ab Incarnacione Domini M. CC. LXVI. Indiccione VIIII., nono die Marcio exeunte. In cuius rei testimonium et robur perpetuum presentes litteras nostro et carissimi filii nostri sigillis duplicibus ex certa sciencia fecimus communiri. Nos eciam Phylippus miseracione Divina Archiepiscopus Strigoniensis, aule Regie Cancellarius, ad instanciam et peticionem prefatorum Illustrium Regum Ungarie presenti carte sigillum nostrum autenticum opponi fecimus et appendi.

(IV. Kelemen pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 284. l.)

89

IV. Béla király megerősíti a pannonhalmi apátság számára a Runkára és Urukangra vonatkozó okmányokat. 1266.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus Christi fidelibus presencium inspectoribus salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod accedens ad nostram presenciam Bonifacius Abbas Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie exhibuit nobis duo priuilegia Capituli Jauriensis, vnum super facto terre Vrunkang, aliud super factis terrarum Renka et Asuan vocatarum confecta, petens a nobis humiliter, vt eadem priuilegio nostro dignaremur confirmare. Quorum siquidem privilegiorum tenor talis est:

Capitulum Ecclesie Jauriensis stb. (Lásd a győri káptalan 1245-ki okmányát okmánytárunk II. kötetében, 254. l)

Vniuersitas Capituli Geuriensis stb. (Lásd a győri káptalan 1216-ki okmányát okmánytárunk I. kötetében, 139. l.)

Nos itaque peticionibus predicti Abbatis Sancti Martini Regio inclinati cum fauore dicta duo priuilegia Capituli Jauriensis presentibus inserta auctoritate presencium duximus confirmanda. In cuius rei memoriam presentes eidem concessimus sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasij Albensis Ecclesie Prepositi aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini M°. CC°. LX°. sexto, Regni autem nostri anno tricesimo primo.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

90.

IV. Béla király Monthus nevűnek Nógrádban Olwár földének felét a már megvolt határlevél szerint adományozza úgy, hogy azt el ne idegeníthesse. 1266.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus presencium noticiam habituris salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus peruenire, quod ad nostram accedens presenciam Monthus fidelis noster petiuit a nobis humiliter suplicando, ut in quadam terra Olwar vocata, sita in Comitatu Neugradiensi prope aquam Ipul, que erat armigerorum nostrorum wulgariter *fegwernuk* vocatorum, sibi prouidere de benignitate Regia dignaremur. Nos itaque ipsius Monthus fidelis nostri peticionibus acquiescentes, consideratisque seruiciis eiusdem, que nobis a puericie sue temporibus fideliter impendit — — dietatem ipsius terre superioris Olwar ad nos receptam in Comitatu Neugradiensi existentem, et non medietatem illius terre Olwar, que est in Comitatu Hunthensi, alia medietate ipsius terre armigeris nostris ibidem existentibus relicta, certis metis a terra dictorum armigerorum nostrorum distinctam eidem Monthus fideli nostro et per eum suis successoribus perpetuo et irreuocabiliter duximus conferendam; ita tamen, quod nec per formam vendicionis, vel aliquo alio modo eam valeat alienare. In cuius terre possessionem — — — Monthus per Farcasium filium Jacou fidelem nostrum fecimus introduci. Mete eciam terre predicte, prout in litteris Prep(ositi de) Saag nobis patuit, hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit a capi(te fl)uuy Rakouch, ubi est pirus, sub qua est meta lapidea; inde per fluuium descendit et vadit per medium dicte ville Olwar, et in fine eiusdem ville est meta terrea iuxta eundem fluuium; inde endit v(ersus or)ientem per modicum *berch*, et ibi in arbore *cher* est meta terrea; inde vadit et transit vnam vallem, et

ibi est meta — —; inde descendit per modicum *berch*, et venit ad duo flumina coeuncia in unum, quorum alterum Zabalaza nuncupatur, et ibi est meta terrea sub pomo; ex hinc per eundem fluuium Zabalaza descendit, et venit ad unam metam terream, que est sub arbore ylicis; inde descendit per magnum *potok*, et modicum eundo tendit versus meridiem, et cadit in unam antiquam viam, et in eadem eundo venit ad arborem piri, sub qua est meta terrea; inde versus meridiem magnum spacium eundo venit ad fluuium unum nomine Lyzkouch; inde transeundo eundem fluuium Lyzkouch venit ad quatuor metas terreas, in quarum duabus sunt due arbores ylicis; inde descendit versus occidentem et cadit in Warpathaka, ubi est frutex salicis; inde vadit per unam uiam versus villam, et ibi cadit in vnam uiam herbosam, in qua cadit in Rumluthpatak; inde per Rumluthpatak uadit superius versus occidentem, et descendendo transit fluuium Rakouch, et ibi sunt tres arbores ylicis, sub quibus sunt tres mete terree; et inde asscendendo unum *berch* reuertitur ad caput Rakouch, ubi prius inceperat; et sic terminatur. Vt igitur collacio per nos facta robur perpetue firmitatis obtineat, eidem Monthus presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farcasij Albensis Ecclesie Electi aule nostre Vice-Cancellarij dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M°. CC°. LX°. sexto, Regni autem nostri anno tricesimo primo.

Jegyzet. Úgy látszik, osztálykor széltében ketté szelt bőrhártya, melynek alúl fölhajtott hasadékaiból függött pecséte eltűnt. Berch annyi, mint bércz.

(Eredetie a kékkői levéltárban : Fasc. I. n. 2. *Érdy.*)

91.

IV. Béla király Baas mesternek Arlouch nevü földet adományozza. 1266.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus presentes litteras inspecturis salutem in vero Salvatore. Quamquam Regia sublimitas munificencie sue manus porrigere debeat suis subditis universis, eo amplius in illos consuevit specialius gratuitis prosequi donativis, qui perspicacibus serviciis prerogativa suorum effulgent clarius meritorum. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire; Quod magister Baas fidelis noster ad nostram accedens presenciam proposuit a Pouca genero Georgii, Judei baptisati, quem dixit sine heredum solacio decessisse de terra Arlouch ad duo aratra separatam certis metis se dudum empcionis titulo possedisse, quam demum post obitum ejusdem Pouce ipse magister Baas de terris castri nostri Trinchiniensis scivit esse;,suplicans instanter, quod cum ipse propter dicti Pouce decessum, qui, ut premissum est, obiit sine solacio liberorum; si eadem terra repeteretur per aliquem ab ipso, contra neminem nomine expeditorio processum habere posset, nec pecunia sua, si eadem terra evinceretur ab ipso, sibi posset restaurari, nos eandem sibi et suis heredibus, cum sit terra castri nostri Trinchiniensis, ex liberalitate Regia conferre dignaremur. Nos igitur attendentes, prefatum magistrum Baas nobis et Regno nostro obsequiosum multipliciter extitisse, quod prolixum esset enarrare per singula, et posse impendere servicia in futurum, dictam terram duorum aratrorum, in cujus pacifica possessione ipse magister Baas existebat, exemptam a castro Trinchiniensi, eidem magistro Baas et suis heredibus heredumque suorum successoribus donauimus et reliquimus perpetuo et pacifice possidendam. In cuius donacionis perpetuam firmitatem presen-

tes dedimus litteras sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum anno ab incarnacione Domini 1266-o, Idibus Marcii, Regni autem nostri anno 25-o.

(Az eredeti után; Horvát István kézirataiból, ki ezen oményt 1266-ra teszi. Mi az 1260-ki évet helyesbnek tartjuk. L. Okmánytárunk II. kötetét 819. l.)

92.

István ifjabb király békességet köt IV. Béla királylyal. 1266.

Nos Stephanus Dei gracia junior Rex Ungarie, Dux Transilvanus, Dominus Cumanorum, innotescimus uniuersis presencium per tenorem, quod nos promisimus carissimo patri nostro, Bele Dei gracia Illustri Regi Ungarie, exhibere in omnibus reverenciam et obedienciam filialem. Idem quoque dominus Rex, carissimus pater noster, recepit nos ad plenam dileccionem suam paternam et amorem sincerum, quo pater consvevit dilectum filium amplexari. Preter illa igitur, que primitus inter nos et ipsum patrem nostrum carissimum ordinata, statuta seu stabilita sunt, impresenciarum ordinamus mutuo consensu et communi voluntate, quod omnes causas tam civiles, quam criminales, quas homines ad nos spectantes hominibus domini Regis, carissimi patris nostri, moverint, vel homines ad ipsum Regem patrem nostrum spectantes moverint contra nostros, nos ipsi, et non alii judices nostri, aut Barones, cognoscemus et judicabimus, assidente nobis Barone eiusdem patris nostri, quem ad hoc specialiter duxerit deputandum. Similiter autem idem Rex, carissimus pater noster, omnes causas tam criminales quam civiles in suo Regno emergentes, que vel homines ad ipsum spectantes moverint contra nostros, vel econverso nostri moverint contra suos, ipse idem dominus Rex pater noster cognoscet, et iudicabit, et non alii sui judices vel Barones, assidente sibi

nostro Barone ad hoc specialiter deputato. Hoc expresso, quod nec nos mittemus, nec predictus pater noster mittet procuratores vel promotores, seu propositores proponendarum vel exercendarum litium vel causarum, sed principales persone factum proponant et suam iusticiam prosequantur; et nos et idem pater noster carissimus causas propositas secundum racionabilem, et approbatam Regni nostri consuetudinem iudicabimus et sentencialiter dirimemus. Providentes eciam subiectorum nostrorum commodis statuimus, ut omnes cause hinc inde emergentes in tribus terminis tantummodo et non pluribus, videlicet in media Quadragesima, in crastino Nativitatis Beate Virginis, et in crastino Beati Nicolai, per nos et per ipsum dominum Regem patrem nostrum carissimum tractentur et decidantur, modo superius comprehenso, judiciis in quibus partes condempnate fuerint, suis ordinariis reservatis. Item cum citacio fieri debet, domini terrarum seu possessionum, officiales, judices seu uillici, non ville, non omnes, vel plures de villa, vel cives sunt ad judicium evocandi: et siqui fures vel malefactores fuerint nominati in villis seu possessionibus, quibus presunt, ipsi vel eos statuent in judicio, vel pro eis respondere tenebuntur. Ordinavimus eciam, quod super populos Baronum serveneium domini Regis, carissimi patris nostri, nullam collectam racione lucri Camere, vel aliquo pretextu faciemus aut fieri permittemus, nec victualia aut aliquid nomine victualium exigemus, aut exigi patiemur. Ad opus eciam castri vel castrorum edificandi vel edificandorum eos non compellemus, nec eis huiusmodi operis seu edificii nomine collectam aliquam indicemus. Evecciones eciam, vel vecturas ab eis nullatenus requiremus, nec aliquatenus imponemus. Descensus eciam, super populos Baronum vel serviencium ipsius domini Regis carissimi patris nostri non faciemus, nec aliquid descensus nomine exigemus; sed si casualiter in villis aliquorum Baronum vel serviencium ipsius domini Regis patris nostri descendere nos contingat, victualia, fenum, stramina et ligna, sine quibus esse non possumus, ad plenum persolvemus et persolvi faciemus. Ceterum si aliquis Baronum nostrorum contra ordinacionem nostram super populos aut villas Baronum seu serviencium domini Regis patris nostri descensum fecerit, expensam factam vel

dampnum datum cum pena dupli tenebitur resarcire. Que omnia et singula idem carissimus pater noster Rex Bela Baronibus et servientibus nostris in suo Regno constitutis ad plenum observabit, faciet et attendet. Promisimus insuper predicto patri nostro carissimo, non sollicitare, allicere et recipere Barones, servientes, nobiles et alios homines suos, preter ruricolas inhabitandi gracia transmigrantes. Qui pater noster promisit nobis, quod nec ipse, nec domina Regina mater nostra, nec Bela Dux, frater noster predilectus, nec eciam domina Anna Ducissa, soror nostra carissima, allicient, sollicitabunt, aut recipient Cumanos, Barones, servientes, vel aliquos homines nostros, preter rusticos et villanos. Adiectum eciam est premissis, quod si aliquis vel aliqui a nobis vel a regimine nostro ad patrem nostrum predictum vel ipsius Regnum; vel econverso de patre nostro vel eius Regno ad nos, vel ad regimen nostrum perpetrato aliquo maleficio se transferret vel transferrent, et nos et predictus pater noster, alteruter nostrum alterutri de huiusmodi facinorosis hominibus iusticiam, satisfaccionem et emendam faciet et prestabit requisitus. Promittimus eciam, quod nec nos, nec nostri cognati et amici, dominum Regem patrem nostrum, dominam Reginam, matrem nostram carissimam, Ducem Belam, fratrem nostrum predilectum, et dominam Annam Ducissam, sororem nostram, Ducem Belam filium eiusdem, Regem Boemorum generum ipsius et nostrum, Bolyzlaum Cracovie, Bolyzlaum Gnezdensem, Lyznyk filium Ducis Cazmerii Duces, nec terras ipsorum et homines ad eos spectantes, et quoslibet alios adherentes eis, molestabimus, turbabimus aut impugnabimus ullo modo. Et idem dominus Rex carissimus pater noster promisit una cum domina Regina, matre nostra carissima, Duce Bela, fratre nostro predilecto, et domina Anna Ducissa, sorore nostra carissima concordiam, pacem et unionem habitam, initam et conventam, nobiscum habere, tenere et inviolabiliter observare, cum nostris cognatis et amicis. Ordinavimus eciam cum eodem carissimo patre nostro, ut possessionum, terrarum Baronum, nobilium, Ecclesiarum et monasteriorum hinc inde ablatarum celeris fiat restitucio per nos in regimine nostro, eiusdem patris nostri homine presente; in Regno vero patris nostri, Regis Bele, per ipsum

patrem nostrum, homine nostro presente; dummodo constet, terras et possessiones, que ablate dicuntur, eorum fuisse, qui se asserunt eis indebite spoliatos. Ut autem premissa et singula premissorum illibate et inviolabiliter observentur, nos et predictus pater noster, venerabili patre . . . Strigoniensi Archiepiscopo presente et codicem Evangeliorum tenente iuravimus corporaliter tactis Sacrasanctis Evangeliis et vivifice Dominice Crucis ligno. Ad superhabundantem eciam cautelam prefatus venerabilis pater Strigoniensis Archiepiscopus, nobis volentibus et cum instancia requirentibus, tulit in scriptis sentenciam excommunicacionis in nos presentes processu temporis omnium, vel cuiusvis articulorum in premissis comprehensorum violatores, transgressores, temeratores, et quovis ingenio contemptores: ita ut si aliquis nostrum contra ordinacionem premissam venerit, et in sentenciam per ipsum Strigoniensem Archiepiscopum prefato modo latam inciderit, non de novo per prefatum Archiepiscopum excommunicari debebit, cum ipso facto iam sit excommunicatus, sed excommunicatus denuntiari publice et periurus. Et ipse Archiepiscopus impresenciarum constitutus, nobis petentibus, promisit firmiter sine delectu alterutrius partis denunciacionem huiusmodi, cum transgressor apparuerit, se facturum. Actum et datum in insula Beate Virginis, Anno ab Incarnacione Domini MCCLXVI., Indiccione VIIII., nono die Martio exeunte. In cuius rei testimonium et robur perpetuum presentes litteras nostro et carissimi patris nostri sigillis duplicibus ex certa sciencia fecimus communiri.

Nos eciam Phylippus miseracione Divina Archiepiscopus Strigoniensis, Aule Regie Cancellarius, ad instanciam et peticionem prefatorum Illustrium Regum Ungarie presenti carte sigillum nostrum apponi fecimus et appendi.

(IV. Kelemen pápa megerősítő okmányából, mint alább 94. sz. a.)

93.

IV. Kelemen pápa a tihanyi apátságot az apostoli szék pártfogása alá veszi, egyszersmind annak jogait megerősítvén.
1266.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Abbati Monasterii de Tykhon eiusque fratribus tam presentibus quam futuris religiosam vitam professis inperpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacre Religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulacionibus clementer annuimus, et monasterium de Thikon Wesprimiensis Diocesis, in quo Diuino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Dei et Beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presenciarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblacione fidelium, seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinenciis suis, cellam monachorum, que Vruzku vulgariter nominatur, cum terris, vineis, possessionibus et omnibus pertinenciis suis, Sancti Michaelis, Sancti Dominici, Sancte Marie Magdalene et Sancte Elysabeth capellas cum omnibus pertinenciis earundem, (castrum ipsius monasterii, nec non) villam Apaty et insulam (insuper), que appellatur Thykon cum omnibus pertinenciis suis, portum supra lacum, qui Balatin (nominatur et vsum pis-

candi, cum quibusuis piscaturis, quas) in eodem lacu habetis, villas novas et predium, quod vocatur Ozofev, terras et possessiones, quas habetis in villa Kuesd, predium de Eurmenus, terras sitas in villa Vduory, predia que de Dergvche, de Vasyl, de Pylip et de Wrskaal vulgariter nominantur cum omnibus pertinenciis eorundem, villam, que Thovsoch dicitur, terras et possessiones, quas habetis in villa Berend, villam Scevleus nominatam sitam iuxta locum, qui dicitur Apathasumlo, terras et possessiones, quas habetis in villa Scevlevs apud Vesprim, predium quod Popsuka vulgariter appellatur, et jus patronatus, quod in Ecclesia Sancti Michaelis loci eiusdem habetis, predium de Vylach cum jure patronatus, quod in Capella Sancte Margarethe sita in eodem predio optinetis; predia de Keyk et de Arach wlgariter nominata; insulam que appellatur Losta cum omnibus pertinenciis suis; villam, possessiones et terras de Kodork; villam et predium de Somthod, predium de Zaraztho, predium et villam de Gesnov vel Apaty iuxta Fyzeg, predium de Telky, terras et possessiones, quas habetis in villa Chopulch et Lapa, predium de Gamas, villam Job (Gos v. Dob), terras et possessiones, quas habetis in villa Sag iuxta Jocha, de Chichol, et de Kup, predia (et) villam Mortus iuxta Buchac, predium de Vmkutha et terras quas habetis in villa Barand iuxta Tholna, et villam de Fod, villam et predium de Besenev in partibus Budrogh cum iure patronatus, quod ibidem in Capella Sancte M(arie) habetis, lacum mortuum cum omnibus terris ad ipsum pertinentibus, Homukevt (v. Homuke) terras et possessiones, que vocantur Celun; annuimus redditum denariorum, quem habetis in loco, qui Symigium wlgariter nominatur, annuos redditus denariorum in portibus et mercatis de Tolna et de Pest, et mille zuanos salis, quos in Alba singulis annis percipitis a salinariis de Zalach; terras quoque et possessiones, quas bone memorie Rex Ungarie Andreas vobis et Monasterio vestro commisit intuitu pietatis, et quicquid iuris in Strigoniensi, Vesprimiensi, Colochensi, Quinqueecclesiensi et Canadiensi Diocesibus optinetis cum terris, pratis, vineis, nemoribus, vsuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane noualium vestrorum, que propriis

manibus et sumptibus colitis, de quibus aliquid hactenus non percepit, siue de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a uobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos a seculo fugientes ad conuersionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum uestrorum post factam in Monasterio vestro professionem fas sic sine Abbatis sui licencia, nisi arctioris religionis optentu de eodem loco discedere; discedentem vero absque communi litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce Diuina officia celebrare; dummodo causam non dederitis interdicto. Crisma vero, oleum sanctum, consecraciones altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promouendi, a Diocesano suscipiatis Episcopo, si idem Catholicus fuerit et gratiam et communionem Sacro Sancte Romane Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine prauitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines parochie vestre, si eam habetis, nullus sine assensu Diocesani Episcopi et uestro Capellam seu oratorium de nouo construere audeat, saluis priuilegiis Pontificum Romanorum. Ad hec nouas et indebitas actiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusue personis uobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque illius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuocioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publici vsurari, nullus obsistat; salua tamen iusticia illarum Ecclesiarum, in quibus mortuorum corpora assumpmuntur. Decimas preterea et possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum, et ad Ecclesias, ad quas pertinent reuocandi libera sit uobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibidem qualibet surreptionis astutia seu violentia proponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum maior pars consilii sanioris secundum Deum et Beati Benedicti regulam

prouiderint eligendum. Paci quoque et tranquillitati uestre paterna imposterum sollicitudine prouidere uolentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum uestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem themere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, nec non libertates et exempciones secularium exactionum a Regibus et Principibus vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, Apostolica auctoritate confirmamus et presentis scripti priuilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integre conseruentur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt vsibus omnino profutura, salua Sedis Apostolice auctoritate et Diocesani Episcopi canonica iustitia. Si que igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptauerit, secundo tertioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se Diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore te Sanguine Dei et Diuini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruaturis sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen.

(P. H.) (Pápai jegy)

† Ego Clemens Catholice Ecclesie Episcopus.

† Ego Odo (?) Tusculanus Episcopus ss.

† Ego Stephanus Prenestinus Episcopus ss.

† Ego — — — — — — — — — Episcopus ss.

† Ego Ancherius — — — — — — — — — — presbiter Cardinalis ss.

† Ego Gilbertus tt. Sancti Marci presbiter Cardinalis ss.

† Ego — — — — — — Diaconus Cardinalis ss.
† Ego Johannes tt. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis ss.
† Ego — — — — — — — — — in Cosmidin Diaconus Cardinalis ss.
† Ego — — — — — — — — — — — — —
Diaconus Cardinalis ss.
† Ego — — — — — — — — Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis ss.

Datum Viterbij per manus magistri Michaelis Sancte Romane Ecclesie ViceCancellarii III. Idus Januarij Indictione X, Incarnationis Dominice M° CC° LX° sexto, Pontificatus vero domini Clementis Pape IIII. anno secundo.

(Az eredeti és Lodomér esztergami érsek 1297-ki átirata után, melyek a sz. mártoni főapátság levéltárában őríztetnek. V. ö. Fejér Cod. Dipl. VI. k. 2. r. 87. l.)

94.

IV. Kelemen pápa megerősíti a IV. Béla magyar király és fia, István ifjabb király közt újonan kötött békességet. 1266.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Ad eternam rei memoriam. Regis eterni filius pacem humano generi redditurus, quod in primi transgressione parentis iram meruerat Dei patris, in signum federis, velut arcus in nubibus poni voluit, cum assumptum corpus ex virgine, mortis exponens supplicio in vivifice crucis ligno, dictas in carne propria solvit inimicitias, que in celis sunt et in terris, pacificans, ac hiis, qui prope pacem annuntians, et qui longe, quam, ut mortalibus carior haberetur, eum ex mundo transiturus ad patrem, electis suis suum disponeret testamentum, hiis, qui secum in suis temptationibus permanserunt, suis videlicet

commensalibus et discipulis prelegavit, quamque resurgens a mortuis et eisdem geminata pronunciacione commemorans, eo magis ab omnibus amplectandam edocuit, quo celebrius, quo frequencius primitivis Ecclesie Sancte patribus voluit commendare. Unde nos ipsius in terris eius dispositione Vicarii, licet immeriti, specialiter constituti, digne pacem Christianis omnibus affectamus, et circa ea solliciti sumus plurimum et attenti, per que, Deo propitio, provenire valeat, ac summotis obstaculis, illibata servari, superadunatis voluntatum divisionibus libenter adicientes Apostolicam muniminis firmitatem, ut tranquillitas nostro roborata presidio intemerata consistat et inviolabiliter observetur: precipue vero cum inter Reges agitur sic annexos, quod naturale fedus vix permittit inter eos scintillam discordie suspicari. Sane dudum inter carissimos in Christo filios nostros, Belam et Stephanum, primogenitum ipsius, Ducem Transilvanum, Reges Ungarie Illustres, gravi discordia suscitata, tandem iidem Reges Divina cooperante gratia inter se ad pacem et concordiam devenerunt, certis pactis inter eos initis, ad quorum observationem predicti Reges super hoc astrinxerunt se, ab eorum alterutro corporali prestito iuramento, prout in litteris inde confectis Regiis sigillis munitis plenius continetur. Nos itaque Regum ipsorum supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eis factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus: ita tamen, quod per hoc libertati ecclesiastice et iurisdictioni personarum ecclesiasticarum nullum preiudicium generetur. Tenores autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari; qui tales sunt.

Tenor litterarum ipsius Regis Bele talis et:

Nos Bela Dei gracia Rex Ungarie stb. (mint fenebb 88. sz. a.)

Tenor vero litterarum eiusdem Regis Stephani est talis:

Nos Stephanus Dei gracia Junior Rex Ungarie etc. (mint fenebb 92. sz. a.)

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Viterbii X. Kal. Julii (Pontificatus nostri) anno secundo.

In e. m. pro Stephano juniori Rege Ungarie sunt obtente.

(IV. Kelemen pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 284. l.)

95.

IV. Kelemen pápa rendelete, hogy Farkas mester, királyi alkanczellár, székes-fehérvári prépostnak választatván, a pápa nevében megerősíttessék. 1266.

Clemens Episcopus etc. venerabilibus fratribus .. Archiepiscopo Strigoniensi et Tymotheo Zagrabiensi Episcopo, salutem etc. Ad nostrum pervenit auditum, quod Prepositura Albensis Ecclesie, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, olim vacante, dilecti filii Capitulum eiusdem Ecclesie magistrum Farchasium, Vice-Cancellarium carissimi in Christo filii nostri B(ele) Regis Ungarie Illustris, in Prepositum ipsius Ecclesie, prout spectabat ad eos, canonice ac concorditer elegerunt: sed idem Electus confirmationem electionis huius petiturus, iuxta felicis recordationis Urbani Pape predecessoris nostri beneplacitum, ad Sedem Apostolicam accedere pretermisit, sicut nec ipse commode potuit, qui ratione commissi sibi vicecancellarie officii circa memorati Regis erat negotia occupatus. Nos autem Regis obtentu predicti, qui pro ipso Vicecancellario suo Apostolicam in hac parte gratiam specialiter attenta precum instantia implorat, eundem Vicecancellarium super hoc intendentes prosequi gratiose, mandamus, quatenus postquam negotium Zagabriensis Ecclesie iuxta formam, que tibi, frater Archiepiscope, per alias nostras traditur litteras, fuerit expeditum, quod vehementer cordi nostro inherens ad effectum perduci optamus celeriter expectatum, si examinatione diligenti premissa, electionem ipsam inveneritis de persona ydonea celebratam, que alias asseritur canonica extitisse, non obstante, quod predicta confirmatio infra tempus debitum ab eadem sede postulata non extitit, auctoritate nostra electionem confirmetis eandem, ac ipsum Electum pro eiusdem Ecclesie haberi Preposito et tractari, sibique in hiis obediri ac intendi, que ad Prepositi Ecclesie ipsius officium

pertinent faciatis, recepturi ab eo pro nobis et Ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinetis. Alioquin eadem electione rite cassata, inhibeatis auctoritate nostro Capitulo supradicto, ne ad electionem vel postulationem aliquam de Preposito in Ecclesia ipsa procedant, cuius provisionem nobis specialiter reservantes; decernatis auctoritate predicta irritum et inane, si secus contra reservationem huiusmodi fuerit attemptatum; quicquid super hiis egeritis, vestris litteris harum seriem continentibus, absque more dispendio, nobis fideliter intimantes. Datum Viterbii IIII. Nonas Julii. (Pontificatus nostri) Anno secundo.

(IV. Kelemen pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 287. l.)

96.

IV. Kelemen pápa Demeter mestert, az esztergami egyház főesperestjét, pápai káplánnak nevezi ki. 1266.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio magistro Demetrio Archidiacono in Ecclesia Strigoniensi, Subdiacono nostro, salutem etc. Gratum sentientes de fama tue probitatis odorem, ad tui honoris augmentum co plenius et efficacius invitamur, quo clara devotione refulgens, horum consideraiione promereris attolli nominis titulo dignioris. Tuam itaque personam paterno prosequentes affectu, eamque intendentes favoris Apostolici gratia prevenire, te Capellanorum nostrorum consortio duximus aggregandum, ut tanto libentius de cetero cultui virtutum intendas, quanto exhibitus tibi honor potioris tibi onus maturitatis indicit, quantoque te decet no-

stris et Apostolice Sedis obsequiis familiarius adherere. Super hoc autem presentes litteras tibi duximus in testimonium concedendas. Datum Viterbii VIII. Idus Julii. (Pontificatus nostri) anno secundo. —

(IV. Kelemen pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 288. l.)

97.

IV. Kelemen pápa Istvánt, ujonan választott kalocsai és bácsi érseket megerősíti. 1266.

Clemens Episcopus etc. dilecto filio Stephano Colocensi et Bachiensi Electo, salutem etc. Colocensi et Bachiensi Ecclesiis, que auctoritate Apostolica sunt unite, pastoris solatio destitutis, dilecti filii Capitula earumdem Ecclesiarum per viam compromissi ad provisionem ipsarum Ecclesiarum unanimiter procedentes, te tunc Capellanum nostrum et Posoniensem Prepositum, Bononie litterarum studio insistentem, in ipsorum Ecclesiarum Archiepiscopum et pastorem concorditer elegerunt. Licet autem, presentato nobis decreto electionis huiusmodi, procedere intenderemus ad examinationem ipsius, quia tamen quorundam Canonicorum earundem Ecclesiarum litteras recepimus continentes, quod ante electionem ipsam quedam alia in eisdem Ecclesiis de Magistro Demetrio Archidiacono de Bors in Ecclesia Strigoniensi celebrata fuerat electio, in cuius fraudem et preiudicium postmodum ad secundam electionem de te extitit de facto prima non cassata processum, nos volentes in hiis cum debita maturitate procedere, ut examinata veritate, unicuique ius suum servaretur illesum, festum Beati Nicholai proximo preteritum terminum peremptorium duximus prefigendum, ut quicumque vellet huiusmodi primam electionem defendere vel aliam impugnare, compareret per se, vel per procuratores

ydoneos coram nobis. Cumque predicto elapso termino nullus se nostro conspectui presentasset, qui vel electionem, que dicebatur, vel forsitan fingebatur facta de dicto Demetrio, prosequeretur, vel reliquam impugnaret, nos electionem de te, ut premittitur, factam examinavimus diligenter, et tandem dum nos ad persone merita referremus, considerationis nostre sollicitudini fidelis memoria obtulit, qualiter tu dudum tempore felicis recordationis Urbani Pape predecessoris nostri, a Zagabriensis Ecclesie tunc vacantis Capitulo postulatus, examinationis discussionem sollicite subiisti, et licet in huiusmodi examine in litteratura fueris inventus et extimatus ydoneus, nichilominus postmodum studio moram Bononie extunc continuando vacasti; propter quod non indigne presumimus, sed et verisimiliter credimus ex tanti successu temporis in studii labore transacti, non in otii torpore deducti, tue scientie plurimum accrevisse. Illud etiam de nostra memoria non abolevit oblivio, quod licet predecessor ipse postulationem huiusmodi propter defectum dumtaxat etatis tue non duxerit admittendam, idem tamen predecessor attendens, quod tu nobilitatem generis morum honestate nobilitans, et etatem ipsorum maturitate preveniens defectum huiusmodi virtutibus redimebas, Apostolica tecum auctoritate dispensans concessit tibi, ut ad Episcopalem, Archiespiscopalem, et quamcumque aliam posses eligi dignitatem, teque eligibilem de plenitudine potestatis reddidit, defectu non obstante predicto. Et quamquam eodem predecessore morte prevento littere super huiusmodi dispensatione confecte bullate non fuerint, nos tamen, prout Domino placuit, postmodum ad apicem Summi Apostolatus assumpti, quod taliter per predecessorem ipsum circa dispensationem eandem factum fuerat, de quo nobis constitit, approbantes tibi super hoc litteras Apostolicas duximus concedendas. Hec igitur provide attendentes, et sperantes, quod tu post predicti tempus examinis non solum moribus et scientia creveris, sed et alias de virtute profeceris in virtutem, electionem de te factam, quia eam invenimus canonice et de persona idonea celebratam, de fratrum nostrorum consilio confirmantes, te memoratis Colocensi et Bachiensi Ecclesiis in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, sperantes firmiter, quod actus tuos, illo dirigente,

qui novit, et regimen tuum in eisdem Ecclesiis eo prosperum faciente, qui potest, per tuum ministerium spiritualiter et temporaliter status exaltabitur earundem. Quocirca mandamus quatenus iniunctum tibi onus humiliter et devote suscipiens, sic illud sollerter exerceas, quod tandem villicationis tibi comisse redditurus tremendo Judici rationem, talenta credita duplicata ei, que credidit, representes, sicque super gregem cure, tue creditum sollicitas studeas custodire vigilias, quod una cum ipso merearis, eodem veniente sponso, ad paratas ipsius agni nuptias intriore. Datum Viterbii III. Idus Decembris. (Pontificatus nostri) anno secundo. —

(IV. Kelemen pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 291. l.)

98.

IV. Kelemen ugyanazon érdemben. 1266.

Clemens Episcopus etc. venerabilibus fratribus . . . Archiepiscopo Strigoniensi et . . . Episcopo Waciensi salutem etc. Colocensi et Bachiensi Ecclesiis, que auctoritate Apostolica sunt unite, pastoris solatio destitutis, dilecti filii Capitula earundem Ecclesiarum per viam compromissi ad provisionem ipsarum Ecclesiarum unanimiter procedentes, Stephanum tunc Capellanum nostrum et Posoniensem Prepositum, Bononie litterarum studio insistentem, in ipsarum Ecclesiarum Archiepiscopum et pastorem concorditer elegerunt. Licet autem, presentato nobis decreto electionis huiusmodi, procedere intenderemus ad examinationem ipsius, quia tamen quorundam Canonicorum earundem Ecclesiarum litteras recepimus continentes, quod ante electionem ipsam quedam alia in eisdem Ecclesiis de magistro Demetrio, Archidiacono de Bors in Ecclesia Strigoniensi celebrata fuerat electio, in cuius fraudem et preiudicium postmodum ad secundam electionem de ipso Stephano extitit de facto prima non cassata

processum, nos volentes in hiis cum debita maturitate procedere, ut exanimata veritate, unicuique ius suum servaretur illesum, festum Beati Nicholai proximo preteritum terminum peremptorium duximus prefigendum, ut quicumque vellet huiusmodi primam electionem defendere, vel aliam impugnare, compareret per se vel per procuratores ydoneos coram nobis. Cumque predicto elapso termino nullus se nostro conspectui presentasset, qui vel electionem, que dicebatur vel forsitan fingebatur facta de dicto Demetrio, prosequeretur, vel reliquam impugnaret, nos electionem de ipso Stephano, ut premittitur, factam examinavimus diligenter, et tandem dum nos ad persone merita referremus, considerationis nostre sollicitudine fidelis memoria obtulit, qualiter idem dudum tempore felicis recordationis Urbani Pape, predecessoris nostri a Zagabriensis Ecclesie tunc vacantis Capitulo postulatus, examinationis discussionem sollicite subiit, et licet in huiusmodi examine in literatura fuerit inventus et extimatus ydoneus, nichilominus postmodum studio moram Bononie extunc continuando vacavit, propter quod non indigne presumimus, sed et verisimiliter credimus ex tanti successu temporis in studii labore transacti, non in otii torpore deducti, eius scientie plurimum accrevisse. Illud etiam de nostra memoria non abolevit oblivio, quod licet predecessor ipse postulationem huiusmodi propter defectum dumtaxat etatis ipsius Stephani non duxerit admittendam, idem tamen predecessor attendens, quod idem nobilitatem generis morum honestate nobilitans, et etatem ipsorum maturitate preveniens, defectum huiusmodi virtutibus redimebat, Apostolica cum eodem auctoritate dispensans, concessit eidem, ut ad Episcopalem, Archiepiscopalem et quamcunque aliam posset eligi dignitatem, eumque eligibilem de plenitudine potestatis reddidit, defectu non obstante predicto. Et quamquam eodem predecessore morte prevento littere super huiusmodi dispensatione confecte bullate non fuerint, nos tamen, prout Domino placuit, postmodum ad apicem summi Apostolatus assumpti, quod taliter per predecessorem ipsum circa dispensationem eandem factum fuerat, de quo nobis constitit, approbantes ipsi Stephano super hoc litteras Apostolicas duximus concedendas. Hec igitur provide attendentes, et sperantes, quod idem

Stephanus post predicti tempus examinis non solum moribus et scientia creverit, sed et alias de virtute profecerit in virtutem, electionem de eodem factam, quia eam invenimus canonice et de persona ydonea celebratam, de fratrum nostrorum consilio confirmantes, eundem memoratis Colocensi et Bachiensi Ecclesiis in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, sperantes firmiter, quod actus eius, illo dirigente, qui novit, et regimen ipsius in eisdem Ecclesiis eo prosperum faciente, qui potest, per eiusdem ministerium spiritualiter et temporaliter status exaltabitur earundem. Quocirca mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel per alios, vel alium in Ecclesiarum predictarum ac iurium et pertinentiarum ad ipsum Electum earundem Ecclesiarum ratione spectantium auctoritate nostra inducatis, et defendatis inductum, amoto ab eisdem Ecclesiis, iuribus et pertinentiis quolibet illicito detentore, facientes nichilominus prefato Electo a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, ac sibi de ipsarum Ecclesiarum fructibus, proventibus et obventionibus, ac iuribus quibuscumque integre responderi contradictores etc. Non obstante, si aliquibus cuiuscumque conditionis existant, vel etiam dignitatis, a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per ipsius Sedis litteras, non facientes plenam ac expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, aut qualibet alia ipsius sedis indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri. Datum Viterbii III. Idus Decembris. (Pontificatus nostri) anno secundo.

(IV. Kelemen pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 292. l.)

99.

Jegyzői bizonyítvány haszonbérlésről, Spalatoban. 1226.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno a Nativitate eiusdem millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, Indictione nona, die quartadecima intrantis Aprilis. Regnante domino Bela Serenissimo Rege Ungarie; tempore domini Rogerii Venerabilis Spalatensis Archiepiscopi, domini Rolandi Illustris tocius Sclavonie Bani et Comitis Spalatensis, Miche Madis, Dobri Dliscize et Kamurcii Petri Judicum, Dragan Radomiri conduxit et accepit ad pastinandum a Duymo Kassarij terram suam, quam habebat in Dilato, promittens ipse Dragan bene et fideliter pastinare totum illud ex ipsa terra, quod est a terra Duvini Derse usque ad vites Stanchi Drage in eadem terra plantatas; videlicet anno quolibet, sine Divino vel iusto impedimento bene et fideliter secundum bonam consuetudinem Spalatensis Civitatis laborare, scilicet semel in anno potare et vitibus duabus zappare, et de omnibus tructibus, quos in ipsis vitibus, quas plantaverit, et eciam in terra Dominus ei dederit, integre terciam partem ipsi Duymo dare et assignare convenit, et sibi duas partes tum modo detinere, non habendo potest ipse Dragan dictam terram, donec tota a terra Duymi Derse usque ad vites dicti Stanchi pastinata nón fuerit, dimittendi, neque eam ei dictus Duymus, dum vites duraverint, subtrahendi; promittens et dictus Duymus dare et solvere ipsi Draganno in adiutorium pastinandi pro quolibet uretero vitium quem pastinaverit, antequam ipsum incipiat pastinare, solidos quadraginta denariorum parvorum. Et hec omnia supradicta predicti Duymus et Dragan ad invicem attendere et observare compromiserunt, et in nullo contra facere vel venire sub pena decem libratum denariorum parvorum, quas pars contra veniens parti alteri observanti dare et soluere teneatur cum bonorum suorum, scilicet Duymi, et bonorum atque persone dicti Dragani obligacione. Ac-

tum in domo mei Notarii; presentibus Leonardo Drascanij, Stephano Justi, Stanco Drage testibus et aliis.

Ego Jacobus Petri conscius examinaui.

Ego Magister Franciscus Imperiali auctoritate Notarius, et nunc Communis Spalati Juratus hiis omnibus rogatus interfui, et uoluntate utriusque partis, dicto Dragonno simile faciens instrumentum, scripsi et roboraui.

(Jegyzöi hitelesítés).

(Hiteles má·olat a bécsi császári titkos levéltárban.)

100.

IV. Béla megerősíti a pannonhalmi apátság népeinek törvénykezési szabadságát. 1267.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque Rex omnibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium Salvatore. Ad vniuersorum Comitum notitiam, Posoniensis videlicet, Nitriensis, Jauriensis, Komaromiensis, Zaladiensis, Vesprimensis, Tholnensis, Simigiensis, seu omnium aliorum Judicum, ad Vice-Judicum harum serie volumus pervenire: Quod accedens ad nostram presentiam fidelis noster Bonifacius Abbas Monasterij Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie, priuilegium Sancti Regis Stephani, confirmatum per priuilegium felicis memorie patris nostri nobis presentavit, quorum inspecto tenore cognovimus, concessum extitisse, ut populos dicti Monasterij nullus judicum, preter Regiam Majestatem et eum, quem Abbas illius Monasterij eliget, presumat aliquatenus iudicare. Vnde cum priuilegia Ecclesiarum, et maxime istius Monasterij, quod dileccione amplectimur speciali, nullatenus infringere, sed pocius inviolabiliter in-

tendamus conseruare, volumus et precipimus firmiter et districte, quatenus nullus vestrum populos sepe dicti Monasterij nec in furto, nec in decimis, nec in facto monete, vel in aliquo presumat judicare, quos a jurisdiccione omnium judicum per priuilegium Sancti Regis Stephani exemptos, judicio tantummodo nostro in omnibus causis reseruamus judicandos, vel ejus, quem elegerit Abbas dicti Monasterij secundum tenorem priuilegii antedicti. In cuius rei memoriam et firmitatem presentes dedimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkassij Prepositi Albensis, aule nostre Vice-Cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M.° CC.° sexagesimo septimo, Regni autem nostri anno tricesimo secundo. VI. Idus Marcii.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában. Ezen privilegiumot megerősítették V. István 1270. VII. Idus Novembris, IV. László 1273. XVI. Kalendas Augusti, Robert Károly 1327. 13-o Kalendas Februarii, II. Ulászló Budán február 13-kán 1494. és I. Ferdinánd Budán die Dominico in festo Beati Antonii 1527.)

101.

IV. Béla király megerősíti a Zazty-i kolostor birtokát. 1267.

Bela Dei gracia Hungarie stb. — — Rex stb. — — quod Comes Pued filius Artolphi de genere Aba priuilegium Sancti Regis Ladislai progenitoris nostri super possessionibus Monasterii de Zazty, cuius idem Comes Pued est patronus — — — — — exhibendo, idem priuilegium, cum per nimiam vetustatem et temporis diuturnitatem esset quasi penitus consumptum, — — — ne dicto Monasterio cum processu temporis periculum exin prouenire possit — — — — confirmari petierit stb. (Következik szent László priviłegiuma, melyet Okmánytárunk I. kötetében a 24. lapon közöl-

tünk, és melyet IV. Béla király megerősít.) Datum per manus magistri Farcasij Prepositi Albensis, aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° sexagesimo, Regni autem nostri anno tricessimo secundo.

(Az eredeti után, melynek függő pecséte már lemálott. Czech.)

102.

IV. Béla király és törvényszékének ítéletlevele, melyben Teplicza, Várna és Zsolna trencsini földek a perbe idézett Péter honti főispánnak, testvéreinek és Detre ispán fiainak itéltetnek meg. 1267.

Béla Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad uniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod cum magister Jacobus Comes Trinchyniensis, magister Paulus ensifer noster, et Michael frater eorundem, filij quondam magistri Michaelis, Petrum Comitem Huntensem et fratres eiusdem, videlicet Othouch et Mykou, filios Comitis Mykou, nec non eciam filios Detrici Comitis, super prossessionibus seu terris Toplucha, Warna et Sylna uocatis in Comitatu Trinchiniensi existentibus, coram nobis traxissent in causam, et ijdem magister Jacobus ac fratres sui, ipsas terras seu possessiones ex donacione et priuilegio felicis recordacionis Andree Regis, karissimi patris nostri, ad se assererent pertinere, dicti uero Petrus Comes ac fratres sui easdem possessiones sibi in concambium seu conmutacionem possessionum suarum, Arwa uidelicet cum castro ibidem existente, Werbuce in Lyptou, Turbuztou, Bene, Muthnaturch, et Turnouk in Turuch, uoca-

tarum per nos collatas fuisse proponerent, et super hoc priuilegium nostrum cum bulla aurea exhibuissent coram nobis, et super hijs fuisset ducius disceptatum; tandem nobis cum karissimo filio nostro Bela, Duce tocius Sclauonie, pro tribunali sedentibus, et assidentibus nobis Baronibus nostris, Henrico videlicet Bano tocius Sclauonie, Laurencio Palatino Comite Symigiensi, venerabili patre Paulo Episcopo Wesprimiensi, aule domine Regine karissime consortis nostre Cancellario, Erney Bano Judice Curie nostre, Comite Castri Ferrei, Chak Bano Comite Zaladiensi, et Stephano Comite Posoniensi ac Judice Curie domine Regine; idem magister Jacobus Comes Trinchiniensis, ac magister Paulus et Michael fratres eiusdem, in nostra et predictorum Baronum nostrorum constituti presencia de iure suo diffidentes, cesserunt omni liti et accioni, quam super terris seu prossessionibus memoratis contra Petrum Comitem Huntensem et fratres suos antedictos, nec non eciam contra filios Detrici Comitis mouerant in figura judicij coram nobis. Propter quod nos predictas possessiones Toplycha, Warna, et Silna uocatas, cum omnibus utilitatibus et pertinencijs suis, et metis ac terminis sub predicta aurea bulla nostra contentis, diffinitiue sententiando dimisimus memoratis Petro Comiti et fratribus suis, sicut hactenus tenuerant, perpetuo et pacifice possidendas, magistro Jacobo et fratribus suis sepedictis ac ipsorum heredibus perpetuum super hijs silencium imponentes; ita, quod si idem magister Jacobus uel fratres sui prenotati, aut ipsorum heredes ullo unquam tempore super predictis possessionibus, uel earum aliqua, contra prefatos Petrum Comitem et fratres suos, nec non eciam filios Detrici Comitis, aut eorum heredes questionem aliquam suscitauerint, tanquam calumpniatores puniantur. Decernentes nichilominus omnia instrumenta, priuilegia, tam predicti patris nostri quam eciam aliorum, seu quelibet munimenta, que idem magister Jacobus uel fratres sui super predictis possessionibus ullo unquam tempore exhibuerunt, esse cassa et irrita et omni robore caritura, et auctoritate presencium reuocata, ac penitus anullata. Hoc adiecto, quod quandocumque idem magister Jacobus, uel fratres sui, aut eorum successores huiusmodi instrumenta in judicio uel extra judicium exhibere attemptauerint, tanquam falsarij punian-

tur. Adicimus eciam, quod magistro Jacobo et fratribus suis antedictis, graciam in hoc fecimus specialem, quod eos pro eo, quod super predictis possessionibus Petro Comiti et fratribus suis prenotatis iniuste litem mouerant, ad penam duppli earundem possessionum non duximus condempnandos. Vt igitur huius rei series firma semper et inconcussa permaneat; nec processu temporis ualeat retractari, presentes eidem Petro Comiti et fratribus suis concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farcasij Prepositi Albensis aule nostre ViceCancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M-° CC-° LX-° Septimo. Regni autem nostri anno tricesimo secundo.

Jegyzet. Szép bőrhártya, melynek alúl fölhajtott hasadékaiból vörös és sárga sodrott selyemről azon pecsét töredéke függ, mely Pray (De Sigillis. Tab. V. fig. 2) munkájában látható. A kékkői levéltárban: A L. n. 9. *Érdy.*

103.

IV. Béla király Sebestyént, szolgagyőri várjobbágyot megnemesíti. 1267.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in salutis largitore. Ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod nos Sebastianum filium Zolut de uilla Aranyas supra Comaromium, solutorem quinque ponderum ad Castrum Zolgageuriense, pro fidelitate nobis obseruata, quam idem tam in exploracione, quam in aliis, exponendo se mortis periculis, fideliter exhibuit et impendit, ipsum et suos heredes cum terra eundem Sebastianum, et non alios fratres suos contingente, de numero ipsorum castrensium solven-

cium quinque pondera, ad numerum et libertatem seruiencium Regalium duximus transferendum. Volentes, quod nullus eundem Sebastianum uel suos heredes racione pristine seruitutis impetere audeat, seu eciam aliquatenus perturbare; sed libere in numero seruiencium more (így) Regalium commoretur. Vt igitur huius nostre translacionis eidem Sebastiano facte series robur obtineat perpetue firmitatis, presentes dedimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasii, Prepositi Albensis, (aule nostre) Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M-° CC-° sexagesimo septimo, Regni autem nostri anno tricesimo secundo. —

(A sz. mártoni főapátság levéltárában őrzött u. n. vörös könyvből, mely a XIII. században íratott.)

104.

IV. Béla király Gekmin és Tywan, liptói nemeseknek, a Liptó megyei Vidafeldét adományozza. 1267.

(B)Ela Dei gracia Hungarie, Dalmatie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie uolumus peruenire: Quod Gekminus et Tywan de uilla Olosсy, nobiles de Lyptou, ad nostram accedentes presenciam, quandam terram Vide, sine herede decedentis, Vidafelde uocatam, in Lyptou existentem, a nobis pecierunt sibi dari. Verum quia de qualitate et quantitate ipsius terre, vtrum nostre sit collacioni pertinens nec ne, nobis ueritas non constabat, fideli nostro Mychaeli Comiti de Zoulum nostris dedimus in mandatis, ut de qualitate et quantitate ipsius

terre sciret et inquireret omnimodam ueritatem, et si nostre collacioni pertinentem inuenerit, extunc in hijsdem metis et terminis, quibus per priores possessores suos limitata fuerat et possessa, statueret et assignaret eisdem Gekmino et Tywan sine iuris preiudicio alieni, reambulando presentibus commetaneis et vicinis eiusdem, si non fuerit contradictum, contradictores autem, si qui fierent, ad nostram presenciam euocaret. Qui quidem Comes Michael nobis rescripsit, quod eandem terram inuenisset nostre collacione pertinentem, et presentibus omnibus commetaneis ac vicinis ipsius terre et non contradicentibus, statuisset et assignasset Gekmino et Tywan antedictis. Nos itaque qui ex officio susscepti regiminis metiri debemus merita singulorum, et unicuique secundum suorum seruiciorum merita Regio occurrere cum fauore, considerantes et attendentes fidelitates et seruiciorum merita ipsorum Gekmini et Tywan, quod nobis in diuersis Regni nostri expedicionibus inpenderunt, et specialiter propter conseruacionem castri nostri de Lyptou, in qua opera fidelitatis inpendere studuerunt indefesse, prout per eundem Comitem Michaelem nobis constitit euidenter, ipsam terram Vidafelde, cum omnibus utilitatibus, et pertinencijs suis vniuersis, quibus per Vida prenotatum detenta fuerat et possessa, eisdem Gekmino et Tywan, et per eos suis heredibus, heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus et contulimus, iure perpetuo et irreuocabiliter pacifice possidendam. Cuius quidem terre mete, sicut in litteris ipsius Comitis Michaelis contineri vidimus, hoc ordine distinguuntur. Prima meta incipit a parte orientali iuxta fluuium Wag, et ibi sub salice est meta; inde uadit ad terram planiciem ad partem meridionalem usque publicam uiam; et ibi saliendo ipsam uiam, tendit ad riuulum Lobila, et ibi contiguatur terre ville Paluga; et ibi transiendo ipsum riuulum ascendit super *nirfa*, ad *berch* et ibi est meta; inde asscendit per terram Lyguet vocatam usque terram Comitis Andree filij Alberti; hinc reflectitur ad occidentem ad uallem, et ibi contiguatur terre Fyotha; hinc descendit ad septemtrionem usque metas et terminos ville Solumus; inde cadit ad Azeupatak uocatum, et descendit ad predictum riuulum Lobila, et per cursum ipsius fluuij descendis ad fluuium Wag; hinc asscendit per flu-

nium Wag ad priorem locum; et sic terminantur mete terre supradicte. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Benedicti Orodiensis Ecclesie Prepositi, aule nostre ViceCancellarij, dilecti et fidelis nostri; anno Domini M° CC° sexagesimo septimo, Regni autem nostri anno tricesimo secundo, XIIII. Kalend. Januarij.

Jegyzet. Eredetie bőrhártja, melynek alúl fölhajtott hasadékaiból a már eltűnt kettős pecséte zöld és ibolya szinü selyemről függött. A liptói Regestrumba bejegyeztetett. (Magyar történelmi tár IV. k. 10. l.) A Hunt-Pázmántól eredett Kubinyi nemzetség levéltárából. (Genealogia Familiae de Felső Kubin. Editio altera. Pesthini, 1824. 4-°) *Érdy.*

105

Szent Kinga vagyis Kunegunda, IV. Béla király leánya és Boleszló krakói herczeg neje, unokahugát Kunegundát, II. Otakar cseh király nejét kéri, hogy férjét arra bírja, mikép IV. Béla királynak fia István ellen segítségére legyen. 1267.

Forsitan non latet Vestram dilectionem adversitas injuriosa, quam sustinet carissimus dominus et pater noster atque vester B(ela) inclytus Vngarorum Rex, cujus dolor multiplex est, quia in aetate utique jam matura, ubi quiescere deberet, sublevatus baculo senectutis, de solio suo pellitur fraudatur suis fidelibus, quorum perplures caesi subcubuerunt, Majestatis suae justiciam defendentes. Et ecce quia tacti doloris sui amaritudine, quam ut dignum est propter justitiam veri patris et domini reputamus propriam, una cum dilecto domino et marito nostro carissimo scribimus, hortamur et supplicamus Dilectioni Vestrae, quatenus compatientes inso-

litis et injustis serenissimi domini et patris vestri ac nostri dolorum persecutionihus, inducere monitis, persuasionibus atque consiliis maritum vestrum dignemini ad succurrendum in forti brachio et armato contra temeritatem filii, paternae gloriae titulum infirmantis; maxime cum dilectus dominus et maritus noster carissimus non parcendo personis, laboribus aut expensis, id ipsum faciendo omnes vires suas fideliter exponere sit paratus.

(Palacky Ferencz; Über Formelbücher. A cseh tudós társaság értekezéseiben, ötödik folyam II. köt. Prága 1842. 279. l.)

106.

Kunegunda cseh királyné és IV. Béla király unokája, nagyatyjának családi ügyekben válaszol. 1267. körül.

Gaudemus, sicut innatae carnis et sanguinis requirit debitum, pater reverende et domine carissime! de vestris jocundis successibus et salute, referentes immensas grates Vestrae Serenitati, quod nostra desideria tali solamine dignemini frequentare. Nos quoque, quia per Dei gratiam sanae sumus, hoc ipsum vobis in gaudium nuntiamus. Gratulamur etiam in his, quae grata vobis sunt, scilicet de impraegnatione nostrae sororis carissimae, uxoris domini Belae vestri filii, fratris nostri, et quemadmodum petivistis, orari pro ipsa bono animo faciemus; supplicantes in idem, ut et vos pro nobis orari similiter faciatis. Quod autem nuntiastis nobis inquiri a domino et marito nostro carissimo, cur nuntios et legationes carissimae dominae et matris nostrae non libenter recipiat: siue ejusdem requisitione super hoc vobis brevis sit responsio, quod si eadem domina et mater nostra carissima, quemadmodum vos et alii nostri carnales facitis, dominum nostrum et maritum alloquiorum gratiosis et favora-

bilibus legationibus visitaret, scimus equidem veracissime, quod hoc per omnia fore(t) gratum.

(Palacky u. o. 282. l.)

107.

Kunegunda cseh királyné nagyatyját IV. Bélát családi jóllétéről értesíti. 1267. körül.

Etsi procul sumus a Vestrae Dilectionis oculis constitutae, excitat cordis nostri memoriam carnalis fidei conjunctio, cujus cursu curritabimus quamdiu vivimus, ignitae caritatis incendio supradictae. Est igitur cordi nobis semper scire de salute vestra et de temporalium circumstantiarum singulis et utinam prosperis successibus. Significantes Vestrae Paternitati in gaudium vice versa, quod nos cum domino et marito nostro carissimo ac filia nostra dilecta per Dei gratiam sanae sumus, hoc ipsum vobis et vestris, pater et domine, per omnia exoptantes.

(Palacky u. o. 282. l.)

108.

Kunegunda cseh királyné anyját Annát, Rasztiszlaw galicziai király nejét kéri, hogy anyai szeretetét tőle meg ne vonja. 1267. körül.

Merito filiae cor scinditur in dolores, cum se videt materni affectus desiderabili gaudio desolatam. Ad instar ejusdem, domina et mater carissima! scisso corde tradimur in lamenta, et ad Dei misericordiam suspiria mittimus, lacrymas effundendo pro eo, quod nos videmur ex materna pietate vestra cadere in contemptum, consideratione habita in dilectionis respectum, quem habetis ad alios pueros vestros et consanguineos evidentia tam favorabili cum effectu; quod non dicimus invidendo, sed potius infortuniorum nostrorum injurias detestando, que etiam nos aliquando induxerunt, quod vobis pro dulcibus amara scripsimus, quibus tamen filialis amoris reverentia non consensit. Quid enim displicet materno affectui in filia solemni conjuge decorata, quem tota ipsius parentela in gloriam elevat et sublimat? Ah, cogimur iterum maternas injurias deplorare, quod nullum adhuc de affinitate nostri aliquibus beneficiis honorastis, ut saltem cognovissent vos matrem in nobis exule filia veneratam; cum tamen fama publica vos coronet, quod etiam benefacitis extraneis et ignotis. Dicamus ergo hucusque nostram in hoc inprudentiam puerilem arguistis. Sed hoc modo projiciatis, domina reverenda! praetendentes, quod modo adolevimus, et vestras despectiones naribus sapimus ubertatis; et nolite amplius contemnere vestram filiam exilio deputatam. Sed hoc possumus forte potius ascribere culpae nostrae, quam Deus in nobis exigit flagellari, quam quod maternae dilectionis contemtum cum gravi contra nos lacrymarum discordia disputemus. Petentes, quatenus adhuc circa nos vestrae pietatis viscera non tepescant; quia si secus fieret, cogeremur eligere vice

vestra, qui aequo libramine filios et filias in se non despicit, confidentes, quod etiam nos sperantes de sua gratia non dimittat.

(Palacky u. o. 281. l.)

109.

Kunegunda cseh királyné anyjának, Anna galicziai királynénak, egy, mint látszik Galicziában, kirabolt troppaui kereskedő ügyét ajánlja. 1267. körül.

Miramur, mater et domina, qua excessuum commissione hoc apud Vestram Dilectionem demeruisse judicemur, (quod) indignas Vestra Maternitas nos fecerit visitandi per suas literas, quibus multum noster animus desiderat consolari. Gaudemus tamen, ut oportet, ex affectu caritatis debito, toto corde, toto animo, de universis vestris prosperitatibus et salute; si haec per Divinam providentiam circa vos et vestros pro vestris desideriis prospere et salubriter disponuntur; scientes quod et nos, et maritus noster carissimus ac filia nostra unica, per Divinam gratiam in ipsius laude pace tranquilla fruimur et salute. Et quia in omni plenitudine favoris, amoris et gratiae prosecutione ex parte domini et mariti nostri carissimi gratulamur, omni parte nobis et vobis ac vestris praecavere vellemus, ne hujus oppositum evenire posset nobis quomodolibet incidenter. Ecce enim ex querimonia lacrymabili valde cognovimus praesentium exhibitoris, non ultimi civis carissimi domini et mariti nostri, Al. de Opavia, quod in terra vestra quidam de vestris comitibus ipsum magnis et multis rebus ipsius spoliaverunt enormiter mobilibus et immobilibus; quas requirendo, quamvis magnas expensas fecerit, rehabere non potuit usque modo. Ad praecavendum ergo ampliori malo, quod ex hoc posset succedere, haec gra-

vamina deduci non permisimus ad notitiam nostri domini cari-simi et mariti, sed existimavimus hoc posse per nostra monita apud Vestram Dilect., mater et domina carissima! pertractare; supplicantes ex affectu Vestrae Dnåoni, quatenus Vestrae Dilectionis et proprii vestri honoris causa, ne impotens praeceptrix vestrorum judicemini, memorato Al. civi sic adesse dignemini, ut ablata ex integro rehabeat, et regratiari vobis potius quam conqueri de tantis injuriis amplius compellatur. Nos quoque de specialis caritatis gratia hoc maternae largitionis pro munere gratuito semper gratanter memores volumus amplexari.

(Palacky u. o. 281. l.)

110.

Kunegunda cseh királyné nagynényét Ilonát, Boleszló kalisi herczeg nejét kéri, hogy kieszközölje, mikép huga Grifina őtet meglátógathassa. 1267. körül.

Laetari et gaudere tenemur, et utique sic facimus, quandocunque boni status et salutis vestrae prosperae relatione aliqua veridica consolamur; unde si secundum desideria vestra cuncta circa vos aguntur prospera, tamquam de propriis attentissime gratulamur. Rogantes cum fiducia, ut inducere dignemini dominum et maritum vestrum carissimum, quod nobis vos liceat videre personaliter posse; habemus enim multa digna relatui vobis mutuo et occulte; et maxime, ut in vestra rara et desiderabili praesentia nostra concupiscentia satietur. Ceterum quia, sicut scitis, nos quasi omnibus orbatam esse carnalibus, ex imo cordis supplicandum Dilectioni Vestrae duximus, quatenus causa nostrae dilectionis inducere per vestras literas dignemini dominam et sororem vestram

carissimam, Ducissam Cracoviensem, materteram nostram, ne in veniendo ad nos carissimam sororem nostram quomodolibet debeat impedire, ut ejus consolemur praesentia, cui semper desideravimus summopere commanere.

(Palacky u. o. 285. l.)

111.

Domonkos gróf a Csák, és Lampert a Loya nemzetségből, peres ügyöket a budai káptalan előtt barátságosan egyenlítik ki. 1267.

Nos Capitulum Budensis Ecclesie damus pro memoria, quod Comes Dominicus filius Petri Comitis ab vna parte, et Lampertus filius Ruzbord ex altera coram nobis personaliter comparentes retulerunt pariter et concordarunt, quod causa, que inter ipsos super possessionibus Ipoliti nepotis Mohor, que dominus Bela Illustris Rex Hungarie domino Comiti Dominico pro annunciacione gaudii de natiuitate Stephani Regis primogeniti sui et pro seruiciis ejus donauerat, que idem Lampertus jure possessionem suam hereditariam ab ipso Comite Dominico coram domino Rege Bela requirebat, taliter esset composita et sopita, quod dictus Comes Dominicus possessiones hereditarias dicti Ipoliti dedit et assignauit memorato Lamperto quiete et pacifice possidendas. Quarum possessionum nomina sunt, videlicet villa Chulman; villa Wrauti; item villa Lauka; et terra cuiusdam ville Patrim vocate, que est inter villam Bagiam et villam Onth. Item idem Comes Dominicus dedit et assignauit ipsi Lamperto quandam particulam terre, quam dictus Ipolitus in villa Zechebe possidebat. Prefatus vero Lampertus quandam possessionem Vjlok vocatam, quam auus dicti Ipoliti, sicut dicit, jure empcionis possidebat, cum omnibus prediis et pertinen-

ciis suis in eisdem metis, quas dicunt in litteris domini Regis contineri, que mete separant et distingnunt ipsam possessionem Vjlok ab aliis possessionibus Ipoliti antea dicti, Comiti Dominico supra dicto reliquit et dimisit pacifice et perpetuo possidendam; se taliter obligando, quod si aliquis de generacione sua dictum Dominicum super ipsa possessione Ujlok vellet impetere, Lampertus eundem et suos heredes tenebitur expedire. Preterea dictus Comes Dominicus obligauit se soluturum ipsi Lamperto sexaginta marcas in argento mercimoniali, de quibus viginti marcas soluet in octauis Sancti Martini; item viginti marcas iu octauis Natiuitatis Domini; et viginti marcas in octauis purificacionis Beate Marie Virginis. Et si aliquem predictorum terminorum negligeret in soluendo, soluere tenebitur cum pena dupli. Adjectum est eciam per presentes, quod si aliqua questio super — — — quare de ipsis possessionibus per aliquem mouebuntur, quelibet parcium se pro sua parte tenebitur expedire, Et sic placuit utrisque partibus, quod omnis contencio, que inter Comitem Dominicum et fratres suos, videlicet Simonem Comitem et Michaelem et Comitem Beere, et inter predictum Lampertum ei Blasium fratrem ejus, qui personaliter huic ordinacioni consensit, uertebatur actenus super duello, destruccione, damnis ac injuriis, omnino est sopita. Et solucio pecunie antedicte de voluntate parcium in terminis prenotatis debet fieri coram Capitulo Albensi; cujus Capituli litteris priuilegiatis pars utraque facta solucione pecunie supradicte se in perpetuum obligant. Item postea adjectum est, quod si qua parcium de hac forma iutro prouocata resilierit, penam centum marcarum pacietur. Datum et actum in die Mathei Apostoli anno Domini M. CC. LXVII.

(A székes-fehérvári káptalan ugyan 1267-iki átiratából; mint alább 112. sz. a.)

112.

Domonkos gróf a Csák, és Lampert a Loya nemzetségből azon barátságos egyességet, mellyet a budai káptalan előtt kötöttek a székes-fehérvári káptalan előtt véglegesen érvenyesítik. 1267.

Capitulum Albensis Ecclesie omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Comes Dominicus filius Comitis Petri de genere Chak ab vna parte, et Lampertus filius Ruzbord de genere Loya ex altera coram nobis personaliter constituti exhibuerunt litteras Capituli Budensis Ecclesie in hec verba:

Nos Capitulum Budensis Ecclesie stb. (m. fenebb 111. sz. a.)

In partibus prefate composicionis — — — et eandem ratam atque firmam habere uolentibus terminos solucionum predictarum, aduenientibus ipsis sexaginta marcas in argento mercimoniali dictus Comes Dominicus prefato Lamperto ad plenum persoluit coram nobis, eadem possessione Vjlok, que ipsum Mohor et Ipolitum ejus nepotem tam empcionis, quam acquisicionis titulo, vt dixerunt, contingebat, cum suis vtilitatibus et pertinenciis in suis metis antiquis et terminis dicto Comiti Dominico in perpetuum remanente, obseruata obligacione expeditoria superius annotata, ad quam se idem Lampertus nunc obligauit, sic eandem replicando; quod quicunque dictam possessionem Vjlok, seu aliquid ex eadem aut ex ejus pertinenciis de generacione Comitis Lamperti ab ipso Comite Dominico et ab ejus heredibus repeteret, ipse Lampertus et sui successores semper et vbique expedire tenentur suis laboribus et expensis, prefatis possessionibus hereditariis, villis videlicet supra notatis et terra ville predicte, ac ipsa porcione terre de Zechehe dicto Lamperto per ipsum Comitem Dominicum statutis nunc remanentibus eidem in perpetuum modo prenotato, illo in articulo quoad ipsas villas, terram ville predicte et porcionem terre de Ze-

chehe integris permutatis; eo interposito, quod litteras suas in execucione et processu predictorum negociorum quascunque partes habuerint siue confectas continencie inter se super prefixis et singulis premissorum, inanes reliquerunt, que quidem quemlibet ipsorum concernerent questiones aliunde suscitande reseruant. Vt igitur premissa omnia robur obtineant perpetue firmitatis presentes ad peticionem parcium in testimonium premissorum dedimus litteras pendenti nostro sigillo communitas. Anno Domini M. CC. LXVII., XVI. Kalendas Marcii, Magistro Farcasio Ecclesie nostre Preposito Aule Regie ViceCancellario, Mike Cantore, Feliciano Custode, Michaele Decano existentibus.

(Horvát István kézirati gyűjteményéből. Az okmány eredetie őriztetik a gr. Zay család levéltárában.)

113.

A hantai káptalan bizonyságlevele, hogy Korrard gróf a pannonhalmi apátságnak adományozta gugi birtokát. 1267.

Capitulum Ecclesie Hantensis omnibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Commes (így) Corrardus, filius Kulchey de Guug, in nostra personaliter presencia constitutus confessus est viva voce, quod terram suam, et domos suas sitas intra Guug, exemptas, et separatas a cognacione sua pacifice ab antiquo ex permissione domine uxoris sue, que ordinem et abitum Abbatissarum Ecclesie Beate Virginis de Vesprimio assumpsit, et elegit, Ecclesie Sancti Martini de Sacro Monte Pannonie contulisset jure hereditario in perpetuum possidendas; in qua idem Comes Corrardus Divino nutu ammonitus, et instructus, monachalem habitum se professus est assumpsisse. Requisitus eciam

ıpse idem Corrardus per nos presente fratre Gregorio, tunc tempore Magistro Curie inferioris Ecclesie Sancti Martini supradicte, utrum per fratres suos et generacionem suam contradiccio, seu signum impedicionis racione terre et domorum fuerit imposita, vel illata; dixit, quod in nullo ab aliquo fuerit impeditus. Ne igitur per quemquam ipsius donacio et disposicio salutaris processu temporum possit irritari, et maliciosa persecucione defraudari, ad instanciam et peticionem condignam jam dicti Comitis Corrardi presentes concessimus litteras sigilli nostri muninime roboratas. Datum anno Domini M°. CC°. sexagesimo septimo. Simone Preposito, Azaria Cantore, Hanta Custode, Michaele Decano existentibus.

(Eredetie a szent mártoni főapátság levéltárában.)

114.

A pécsváradi konvent bizonyságot tesz arról, hogy a szekszárdi apát Pétörd nevezetű puszta földjét Baranya vármegyében, mely szemmérték szerint 20 ekényi lehetett, Bodor grófnak, Lőrincz nádor albirájának, 60 giráért örökre eladta, s egyszersmind ezen föld határát részletesen leírja. 1267.

Conuentus Monasterij Waradiensis vniuersis Christi fidelibus presentibus pariter et futuris presentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod vir religiosus, frater Filius, Abbas Monasterij Saxardiensis, frater Martinus Custos, frater Petrus de Conuentu Saxardiensi pro se, et pro toto Conuentu Saxardiensi cum procuratorijs litteris eiusdem Conuentus, Comes Zach officialis dicti Monasterij de Saxard, Gyalmaz, Bagza, Nicolaus filius Peka, Mykou filius eiusdem, Timotheus, Kelemen, Zeme, Emericus

filius Comitis Zach, Iwanka de Wrus, et Johannes frater eiusdem, jobagiones eiusdem Monasterij Saxardiensis, pro se et pro omnibus alijs jobagionibus eiusdem Monasterij, similiter cum procuratorijs litteris ipsius Conuentus, ab una parte; item nobilis vir Comes Bodur filius Pouse, Vice-Judex Laurencij Palatini ab altera, coram nobis personaliter comparentes, prefatus Filius, fratres predicti, pro se et pro toto Conuentu Saxardiensi, ac prenotati officialis et jobagiones dicti Monasterij nomine suo, ac vice omnium aliorum jobagionum eiusdem Monasterij, quandam terram ipsius Monasterij Saxardiensis, Peturd vocatam, in Comitatu de Baranya existentem, adhuc ante tempus insultus gentis Tartarice vacuam et desertam, ac habitatoribus penitus destitutam, nullam aliam vtilitatem, preter quandam paruulam Capellam, in eadem terra Peturd sub honore Beate Virginis Marie constructam, et preter siluam desertam in se continentem, quam quidem terram Peturd per Comitem Boch de genere Bechegregor, nobili domine vxori sue pro sua dote et rebus suis parafernalibus traditam, seu eciam assignatam, eadem nobilis domina matrona pro sue anime remedio dicto Monasterio Saxardiensi dudum noscebatur in perpetuum possidendam assignasse et donasse, ex permissione pie memorie (! ?) domini Regis Bele, et ex consensu ac assensu reuerendissimi patris domini Philippi Strigoniensis Archiepiscopi, prout in eorundem patentibus litteris exinde confectis nobis exhibitis et perlectis plenius vidimus contineri, presentibus eciam magistro Macha filio Mychaelis homine domini Regis et religioso viro fratre Thoma, Abbate de Felduar, homine domini Philippi Strigoniensis Archiepiscopi per eosdem ad circumdandam et reambulandam ipsam terram Peturd, coram suis vicinis et conmetaneis sub veteribus metis, et ad estimandum eandem cum suis vicinis coram vno ex nobis fratre destinatis, vicinis quoque ipsius terre Peturd, videlicet Comite Dyonisio filio Petri de genere Bechegregor de Felwrus, Georgio filio Nicolai de Peturd, Nicolao et Petro filijs eiusdem, Petro et Nicolao filijs Leustachii de Zapud, ac Stephano filio Petri de Korunzo, patrono Monasterij de Bata, presencialiter astantibus, permittentibus et consencientibus ac non contradicentibus, prenominato Comiti Bodur pro sexa-

ginta marcis, de quibus idem Comes Bodur vnam vineam suam in Saxardia in territorio Monasterij eiusdem, in medio vinearum predicti Abbatis Saxardiensis adiacentem, quam quidem vineam a Baal vinitore nostro ex nostra permissione idem Comes Bodor noscebatur precio comparasse, pro sex marcis, racione concambij ipsius terre Peturd assignando, et quinquaginta quatuor marcas in denarijs, prenotatis Abbati, fratribus, officiali et jobagionibus Monasterij Saxardiensis ipsam pecuniam cum predicta vinea ad se recipientibus persoluit integriter coram nobis, et per eundem Comitem Bodur suis heredibus heredumque suorum in posterum successoribus, jure perpetuo et irreuocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam vendiderunt coram nobis, eo quod ex precio ipsius terre Peturd Monasterio Saxardiensi maius commodum et maior vtilitas succedere videbatur, quam si vacua permansisset et deserta, ab inpetitoribus eciam quibuslibet occasione dicte terre Peturd iam vendite, predicti Abbas, fratres, officialis et jobagiones Monasterij Saxardiensis cum eorum successoribus suis proprijs laboribus et expensis Comitem Bodur prenotatum et eius posteritates expedire et saluare assumpmentes. Hoc non pretermisso, quod si ijdem Filius Abbas, fratres de Conuentu, officiales et jobagiones Monasterij Saxardiensis, aut successores eorundem ipsam terram Peturd iam venditam, ab eodem Comite Bodur, vel ab eiusdem successoribus requirere aut repetere attemptauerint quandocumque, dicto Comiti Bodur, et eius posteritatibus preter judicem, ante litis ingressum, sexaginta marcas denariorum persoluere, et insuper contra Comitem Bodur et posteritates ipsius sine strepitu alicuius judicij pene calumpnie subiacere teneantur, prout assumpserunt coram nobis. Cursus autem metarum dicte terre Peturd prefato Comiti Bodur vendite, vsui viginti aratrorum, sicut ex visu oculorum datur considerare, sufficientis, prout Magister Macha, homo domini Regis, Thomas Abbas de Felduar, homo domini Strigoniensis Archiepiscopi, et vnus ex nobis frater, ad circumdandam, reambulandam et estimandam dictam terram Peturd cum eisdem hominibus domini Regis et domini Archiepiscopi per nos transmissi Regio mandato, nobis in scriptis reportando predictis partibus vel vicinis ipsius terre Peturd

presentibus coram nobis perlegi fecerunt seriatim, eiusdem vicinis in nullo contradicentibus, sed pocius consencientibus in hac parte, taliter distinguuntur. Prima eciam et capitalis meta incipit ab oriente in capite cuiusdam sicce vallis, inter valles processus egreditur ad aquilonem a capite cuiusdam putei *Chabakuta* vocati vbi sunt tres mete terree capitales, prope quatuor arbores *magyal* posite, vbi est terra Monasterij Saxardiensis Kuesd (ma Kövesd) vocata, et terra Comitis Dyonisij filij Petri Felwrus (Fel-Örös?) dicta, eidem terre Peturd vicinantes; quarum quidem trium metarum vna separat Monasterio Saxardiensi, altera Comiti Dyonisio et tercia Comiti Bodur; inde iuxta terram Felvrws ab oriente remanentem, progreditur directe versus meridiem ad lacum Gyoznoufertes (Disznófertős) vocatum, in quo laco aqua pluuialis stagnare consueuit, vbi sunt due mete terree, quarum vna separat terre Felwrws, altera Comiti Bodur; deinde reflectitur versus occidentem, eundoque directe ad occidentem, iuxta terram Felwrws, a meridie remanentem, venit ad quoddam fosstatum longum *aruk* dictum, vbi sunt due mete terree, quarum vna separat terre Felwrws, altera Comiti Bodur; abinde iuxta ipsum fossatum in vicinitate terre Felvrws a meridie remanentis eundo directe versus occidentem descendendoque ad quoddam nemus in valle situm, et transeundo ipsum nemus asscenditur ad quendam *berch*, vbi sunt tres mete terree, vbi vicinitas terre Felvrws vocate terminatur, et adiungitur terre Comitis Bodur, Peturd vocate, vicinitas terre Georgij filij Nicolai de Peturd, Nicolai et Petri filiorum eiusdem, eciam Peturd vocate, a meridie existentis; quarum vero trium metarum vna separat terre Felvrws, altera predicto Georgio et filijs suis, tercia Comiti Bodur; inde descendendo per terram arabilem ad vallem, et iuxta teram Georgij et filiorum suorum a meridie remanentem inter arbores fructiferas eundo directe versus terram Zapud (Szapod) vocatam, scilicet ad occidentem asscenditur per locum Zurdukut (Szurdok-út) vocatum, vbi in capite ipsius Zurdukut sunt due mete terree, vna Georgio et filijs suis, altera vere Comiti Bodur separantes; abhinc iuxta terram Georgij et suorum filiorum a meridie remanentem eundo directe versus terram Zapud ad occidentem venitur ad

tres metas terreas angulares, vbi relinquitur vicinitas terre Georgij et filiorum suorum, et terra Petri ac Nicolai filiorum Leustachij Zapud vocata, sita ab occidente, incipit tenere vicinitatem cum terra Comitis Bodur, quarum quidem trium metarum vna separat Georgio et filijs suis, altera filijs Leustachi, tercia vero Comiti Bodur; hinc iuxta terram Zapud ab occidente remanentem declinatur versus septemtrionem, eundoque per fossatum quoddam *aruk* dictum vadit ad duas metas terreas, terre Zapud et Comiti Bodur separantes, adhuc in vicinitate terre Zapud ab occidente remanentis, per geminatas metas terreas in octo locis nouo positas, terre Zapud et Comiti Bodur separantes, in magno spacio eundo directe versus septemtrionem venitur ad tres metas terreas angulares, quarum vna separat terre Zapud, cuius vicinitas illic terminatur, altera terre Monasterij de Bata Apaty (Apáti) vocate, que cum sua vicinitate ipsam terram Comitis Bodur in modico attingit, et silue Regali Mooragy (Morágy) nuncupate, tercia vero Comiti Bodur; abhinc relinquendo vicinitatem terre Apaty, in vicinitate silue Moraag ab aquilone remanentis, regreditur versus orientem, venitque ad duas metas terreas iuxta quandam vallem existentes, inter siluam Moraag et inter Comitem Bodur separantes; hinc descenditur in vallem versus orientem, iuxta siluam Morag ab aquilone sitam, saliendoque versus orientem, ipsam vallem in ascendendo in montem siue *berch*, in vicinitate silue Moraag ab aquilone remanentis, in eadem *berch* sunt due mete terre inter siluam Morag et inter Comitem Bodur separantes; inde itur versus orientem, ad duas metas terreas separantes inter siluam Morag et Comitem Bodur; exinde vadit adhuc vertus orientem ad duas metas terreas in fine eiusdem *berch* sitas, inter siluam Moraag et inter Comitem Bodur separantes; abinde in vicinitate silue Morag, ab aquilone existentis, eundo versus orientem venitur ad duas metas terreas, similiter inter siluam Morag et inter Comitem Bodur destinguentes; deinde iuxta siluam Morag itur versus orientem, veniturque ad tres metas terreas angulares iuxta quoddam fossatum *aruk* vocatum, sitas, quarum vna inter siluam Morag, cuius vicinitas illic terminatur, altera inter terram Kuesd superius nominatam, cum qua incipit tenere vici-

nitatem, tercia inter Comitem Bodur distinguentes (i g y), de quibus tribus metis descenditur in quandam vallem versus orientem in vicinitate terre Kuesd, et ibidem in ipsa valle sunt due mete terree eidem terre Kuesd et Comiti Bodur separantes, de ipsa quoque valle asscendendo versus orientem ad finem cuiusdam gracilis *berch* iuxta terram Kuesd venitur ad duas metas terreas distinguentes inter terram Kuesd et inter Comitem Bodur; inde adhuc iuxta terram Kuesd eundo versus orientem saliendo quendam tenuissimam *berch*, et adhuc ascendendo quoddam *zurduk* vel *horhag*, transito ipso *horhag*, super ipsum *horhag* sunt due mete terree, inter terram Kuesd et inter Comitem Bodur distinguentes; hinc in vicinitate terre Kuesd reflectitur versus meridiem, et eunde iuxta vallem directe versus meridiem, terram tamen Kuesd illic ab oriente relinquendo, venitur ad duas metas terreas separantes inter terram Kuesd et inter Comitem Bodur; inde iuxta terram Kuesd versus meridiem adhuc directe eundo vaditur ad duas metas terreas distinguentes similiter inter terram Kuesd et inter Comitem Bodur; abhinc iuxta terram Knesd ab oriente remanentem, adhuc versus meridiem in magno spacio procedendo reuertitur ad tres metas capitales seu eciam principales, ibique terminatur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, ad peticionem parcium predictarum presentes litteras cum alphapeto intercisas concessimus sigilli nostri munimine roboratas Datum anno Domini M-mo ducentesimo LX-mo septimo, mense Februario. Valentino Decano, Bonifacio Custode et Petro Cantore existentibus, ceterisque fratribus vna nobiscum Deo famulantibus jugiter ac deuote.

(Garai Miklós nádornak 1380-ban kelt itéletleveléből, melynek eredetije a B. Wesselényi család levéltárában van. *Szabó Károly.*)

115.

Spalato város községe sz. Lőrincz templomára vonatkozó egyházi védjogát az ottani káptalanra ruházza által. 1267.

In nomine Dei eterni Amen. Anno Incarnacionis ejusdem millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, Indiccione decima, die quarto decimo mensis Octobris. Regnante domino nostro Bela Serenissimo Rege Ungarie; temporibus domini Johannis venerabilis Spalatini Archiepiscopi, domini Rolandi Incliti Comitis; Duimi Cassarii, Gregorii Grube, Dobri Madri Judicum. Nos predicti Judices una cum nostro consilio ac universa Communitate Spalatina per presens instrumentum volumus ad cunctorum noticiam pervenire, quod vacante Ecclesia Sancti Laurencii de Platea, nos qui veri patroni seu fundatores ipsius Ecclesie sumus, utpote in quorum fundo eadem Ecclesia fundata est et constructa, cum constet nullos alios habere patronos, eligimus vos, Thomam Archidiaconum cum universo Capitulo Ecclesie Beati Domnii, transferentes in vestram Universitatem totam nostram jurisdiccionem, quam in eligendo habemus, ut quesita et obtenta investicione seu confirmacione, que ad jus domini Archiepiscopi spectare dinoscitur, ipsam Ecclesiam habeatis et possideatis in perpetuum, ordinantes et disponentes de ipsius possessione seu restauracione, sicut vobis melius videbitur, ad honorem Dei et ipsius Ecclesie statum vel commodum absque alicujus retraccione et contradiccione. Actum in Ecclesia Beati Domnii die Dominico ante missam coram omni populi multitudine omnibus consencientibus et sibi placere proclamantibus ibidem astantibus cum predictis Judicibus, nobilibus viris Micha Madii, Johanne Cigad, Johanne Vitalis, Drago Stephani, Alberto Jancii, Petro Cerneche, Camurcio Petri, Marino Gaudii, Grupto Gatule et pluribus aliis.

Ego Joseb Petri conscius examinavi.

Ego vero domnus Lucas Canonicus et juratus Notarius

Spalatinus his omnibus interfui et rogatus ab utraque parte, ut audiui, scripsi et consueto signo roboravi.

(Hiteles másolata a bécsi császári titkos levéltárban.)

116.

IV. Béla megengedi, hogy Pamlen és Péter csallóközti nemesek Patonyban levő részjoszágukat 18 girán eladhassák Jurk királyi tárnoknak és testvéreinek. 1268.

BEla Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, quibus presentes ostendentur, salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod accedentes ad nostram presenciam Pamlen et Petrus, filij Zeghen nobiles de Chollokuz, a nobis pecierunt, vt quandam particulam terre eorum hereditarie, quam sufficientem vsui vnius aratri et culture habent in terra Potun, quia pro eorum inopia circumiacencium malicijs vicinorum suorum non valent resistere, qui ad dictam terram eorum maliciose in suum vsum de eorum proprietate penitus vendicarunt prebentibus nobis Regium consensum, venderent emptoribus, qui eam possent comparare. Verum quia ipsa terra uicinior erat terris Jurk Tauarnici nostri et fratrum suorum, Vdus videlicet, Bene et Benedicti, jobagionum vduornicorum nostrorum de Potun, ipsam terram vnius aratri, in qua esse dicuntur centum iugera arabilium terrarum preter fenetum, dicto Jurk et fratribus suis prenominatis nobis permittentibus, volentibus et consencientibus ijdem filij Zeghen, requisitis omnibus alijs vicinis suis et permittentibus, sicut per litteras Capituli Posoniensis nobis constitit, uendiderunt pro decem et octo marcis receptis plenius ab eisdem coram Capitulo Posoniensi, sicut in eiusdem Capituli litteris uidimus, perpetuo possidendam, et habendam. Et mete eiusdem terre, prout in litteris dicti Capituli

continentur hoc ordine destinguntur: Prima meta incipit a parte occidentali a quodam trunco salicis, qui est iuxta paludem Semlycus uocatam, ubi sunt due mete antique; abinde procedit iuxta terram filiorum Begkez (Bégzen) in quadam semita uersus uillam eorundem cum duabus metis, donec ueniatur ad duas metas antiquas, que sunt prope villam eorumdem filiorum Beskez (így); deinde procedendo in longitudine unius iugeris terram filiorum Beskez, relinquit et adiungitur terre predicti Jurk et generacionis sue; abinde directe procedit uersus orientem et uenit ad quandam paludem *ag* uocatam, vbi sunt quatuor mete antique, quarum una similiter est filiorum Zeghen, altera uero Jurk et generacionum suarum; abinde procedit in terra filiorum Zegen (így) directe uersus orientem in longitudine unius iugeris metis antiquis dupplicatis, donec ueniatur ad caput cuiusdem paludis, que *lupsar* uocatur, ubi predicta palus *ag* adiungitur predicte paludi *lapsar*, et ibi in quadam area, sita inter ipsum fluuium diuisum, sunt due mete antique; abinde iuxta terram eorum Jurk et generacionum suarum procedit uersus meridiem, donec ueniatur ad priorem paludem Semlicus uocatam, ubi sunt due mete antique, et transeundo paludem, terram generacionum Jurk conterminatur terre ville Lokluchey; abinde iuxta terras ville Lokluchey, remanente ipsa palude in terra filiorum Zegyn (így), protenditur iuxta eandem paludem uersus occidentem, donec ueniatur ad metas ville Gala, vbi sunt quatuor mete antique; dein uenit ad priorem locum Semlitus uocatum, et ibi mete ipsius terre terminantur. In cuius rei testimonium perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Demetrij Ecclesie Albensis Electi, aule nostre ViceCancellarij. Anno Domini M° CC° LX° octauo; Regni autem nostri anno tricesimo tercio.

(Szakadozott hártyán szép fekete betükkel írva; de az okmány már annyira elromladozott, hogy csak más szám segítségével lehetett teljesen leírni. Veressárga selymen a pecséttöredék. Pozsonykáptalan országos levéltár. Capsa XII. Fasc. 1. Nr. 1. *Knauz Nándor.*)

117.

IV. Béla öt Ethei helységről szóló adományozását, melyet e helység udvarnokjainak tett az istenitéleten győztes Udvarnok helységbeliek ellenében, ez utóbbiak javára megsemmiti. 1268.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Ramc, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus, tam presentibus, quam futuris, salutem in Domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod licet iura vduornicorum nostrorum de Vduornuk, arundinetum videlicet Saac uocatum, pratum et piscaturam, que per examen duelli ijdem vduornici nostri de Vduornuk coram H. Palatino, Comite Posoniensi de vduornicis nostris de quinque villis Ethey obtinuerant, prout per priuilegium eiusdem H. Palatini patet, obtinuerant, vduornicis nostris de quinque villis Ethey contulerimus; post cause tamen cognicionem, et inspecta rei certitudine, dicta iura, arundinetum videlicet, pratum et piscaturam dictis vduornicis nostris de Vduornuc, ad quos prius pertinebant, restituenda duximus et reddenda, reuocantes et irritas pronunciantes omnes litteras nostras et priuilegia, auctoritate quarum vduornici nostri de dictis quinque villis Ethey arundinetum, pratum et piscaturam possidebant. In cuius rei memoriam pleniorem et maiorem firmitatem, ne processu temporum in irritum ualeat retractari, presentes concessimus litterras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Demetrij Electi Ecclesie Albensis, aule nostre ViceCancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini 1268. Regni autem nostri anno tricesimo tercio.

(Eredetie a Kondé család levéltárában. *Knauz Nándor.*)

118.

IV. Béla király adománya a dunaszigeti Boldog Asszony kolostora számára. 1268.

Bela Dei gracia Rex Hungarie etc. vniuersis Christi fidelibus presencium inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod cum nos ad provisionem et vtilitatem Monasterii Ecclesie Beate Virginis de Insula Regio cum fauore inuigilare velimus, quandam terram nomine Vj-Bech vocatam, cum palacio super eadem existenti, dicto Monasterio de Insula duximus conferendam. Sed quia de ipsius terre qualitate et quantitate ad plenum nobis non constabat, misimus ad dictam terram Prepositum Budensem, et Magistrum Ambrosium, Comitem Capelle domine Regine charissime consortis nostre, dilectos et fideles nostros; qui postmodum in suis literis nobis rescripserunt, quod ipsa terra vacua esset, et vicina terre ipsius Monasterii Jenew vocate, et eandem cum palacio in ipsa terra existenti, predicto Monasterio statuissent de precepto nostro et mandato. Nos itaque assignacionem ipsius terre factam per Magistrum ac Prepositum predictum, et Ambrosium Magistrum prefatum, ratam habentes atque firmam, ipsam terram, quemadmodum Magister ac Prepositus, et Magister Ambrosius prefati assignauerunt eidem Monasterio Beate Virginis, dedimus, contulimus et donavimus perpetuo possidendam. Datum anno ab Incarnacione Domini M° CC° sexagesimo octavo.

(Régi hiteles másolat után.)

110.

Kunegunda cseh királyné nagyatyjának IV. Béla királynak köszönetet mond azon ajándékért, melyet ez férjének küldött.

De tentorio, misso domino et marito nostro carissimo, pro eo et cum eo Vestrae Paternitati immensas gratiarum referimus actiones, excusantes nuntium vestrum, praesentium exhibitorem, quod idem tentorium, nobis prohibentibus, non perduxit usque ad praesentiam domini et mariti nostri carissimi, quia idem dominus et maritus noster de peregrinatione, quam agebat versus Pruteniam, in reditu jam jam fuit. Quare Paternitatem Vestram requirimus et rogamus, quatenus eidem nuntio vestro indignari non velitis, imo excusatum habere potius super eo, quod praediximus in praemissis.

(Palacky, Über Formelbücher, 283. l.)

120.

IV. Kelemen pápa rendelete, hogy a, Jádra mellett fekvő sz. Kozma és Damian czimü benczekolostor a topliczai apátságnak alá rendeltessék. 1268.

Clemens Episcopus etc. venerabili fratri... Archiepis copo Jadrensi salutem etc. Ex tenore litterarum, quas dilecti filii . . . Abbas et Monachi Monasterii Sanctorum Cosme et Damiani de Monte Jadrensi, Ordinis Sancti Benedicti, nobis destinare curarunt, accepimus, quod Monasterium ipsum per incuriam et malitiam degentium in eodem adeo in spiritualibus et temporalibus est collapsum, ut nulla spes penitus habeatur, quod de suo possit ordine reformari. Quare humiliter per easdem litteras postulabant a nobis, ut Monasterium ipsum cum suis membris de Cisterciensi reformari Ordine faceremus. Nos itaque de tua circumspectione confisi, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum ab eisdem Abbate et Monachis super hoc fueris requisitus, dictum Monasterium cum membris eisdem, si Capituli tui ad hoc accedat assensus, de predicto Cisterciensi ordine auctoritate nostra reformans, illud Monasterio de Topliza eiusdem Cisterciensis Ordinis Zagrabiensis Diocesis, si videris expedire, submittas. Contradictores etc. Non obstante, si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint per litteras dicte Sedis facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Datum Viterbii Idibus Junii. (Pontificatus nostri) anno IIII.

(IV. Kelemen pápa Regestáiból, Theiner id. m. I. k. 293. l.)

121.

Lőrincz nádor és somogyi főispán bírótársaival a királyné szabadosai által elfoglalt Szent-György nevü földet Sándor és Pál nemeseknek, kikhez örökségi jogon tartozott, visszaadja. 1268.

Laurencius Palatinus et Comes Symigiensis vniuersis Christi fidelibus presencium noticiam habituris salutem in Domino. Ad vniuersitatis uestre noticiam volumus peruenire, quod cum nos dominus noster Illustris Bela Rex Hungarie ad reuocandas terras ac alia iura nobilium per udvornicos et castrenses populos domine Regine ac alios cuiuslibet condicionis homines occupata, ad Comitatum Symigiensem transmisisset, et quinque homines de nobilibus ipsius Comitatus electos per omnes nobiles de eodem Comitatu, Johannem Comitem scilicet filium Ysip, Stephanum filium Deers, Gregorium filium Juharus, Cosmam de Kuazna, et Thomam de Vyslou nobis in socios deputasset, et ijdem quinque nobiles socij nostri iureiurando, tacto Sancto et viuifice Crucis ligno Domini, domino Regi promisissent, quod non aliud nisi iura nobilium indebite per condicionarios occupata restituerent, et eciam secundario nobis tactis sacrosanctis reliquijs et evangelio supra filios filiorum suorum iurassent illud idem, et recepta tali caucione processissemus ad preceptum domini Regis supradictum; Alexander et Paulus filij Dominici de populis domine Regine de villa Marchodov vocata quandam terram suam hereditariam Sengurg vocatam, sufficientem ad unum aratrum et dimidium, sicut per visum considerare potuimus receptam et violenter occupatam esse dicebant coram nobis et coram coniudicibus nostris predictis, et formam inquisicionis petierunt sibi reddi. Verum cum nos ad ipsam inquisicionem processissemus, sciuimus ueraciter, dictam terram fuisse de iure hereditario nobilium predictorum; ad maiorem tamen cautelam ipsos Alexandrum et Paulum, fratrem eius, super predicta terra constitutos ad personas suas et ad

filios filiorum suorum cum duobus nobilibus sibi consimilibus iurare fecimus super eo, quod illa terra, quam reambulauerunt, fuerit ipsorum hereditaria, et per dictos populos domine Regine indebite occupata. Cum itaque diligentissima inquisicione facta, et recepta iuratoria caucione, ut prediximus, invenissemus dictam terram de iure hereditario fuisse nobilium predictorum, eandem terram exclusis populis domine Regine de eadem, restituimus hereditario iure perpetuo possidendam, et metas, sub quibus ijdem nobiles possidere debeant ipsam terram, fecimus eleuari. Mete autem hoc ordine distinguntur: Prima meta ipsius terre incipit a parte orientali iuxta fossatum Yztizal, ubi est meta sub arbore *bykfa* wolgariter dicta; de inde vadit versus septemtrionem, et venit ad unam arborem *naar*, sub qua est meta; de inde tendit versus occidentem, et venit ad unam pirum, sub qua est meta; de inde adhuc eundo ad eandem plagam, venit ad unam metam terream; de inde venit ad arborem *gertan*, sub qua est meta; de inde procedit versus meridiem, et venit ad unam arborem *gertan*, sub qua est meta; de inde adhuc tendendo ad eandem plagam, venit ad unam arborem cerasi, sub qua est meta; de inde progreditur iterum ad meridiem, et venit in planicie ad unam metam terream; et abhinc tendit versus orientem et venit ad fluvium Yztizal, ubi est meta; de inde autem procedendo iuxta ipsum fluvium ad eandem plagam venit ad priorem vnam metam, et sic terminatur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras sigilli nostri et sigillorum sociorum nostrorum munimine roboratas. Datum per manus Magistri Sebastiani Cantoris de Posoga, et Canonici Albensis, Prothonotarij nostri, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo.

Jegyzet. Eredetie bőrhártya, mellynek alúl fölhajtott hasadékaiból hat pecsét függött, de elenyészett. Másolta Horvát István. *Érdy.*

122.

Lőrincz nádor és somogyi főispán birótársaival, a királyné szabadosai által elfoglalt Lapa nevű földet, Grab nemesnek, kihez örökségi jogon tartozott, visszaadja. 1268.

Laurencius Palatinus et Comes Symigiensis uniuersis Christi fidelibus presencium noticiam habituris salutem in Domino. Ad uniuersitatis uestre noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum nos dominus noster Illustris Bela Rex Hungarie ad revocandas terras ac alia iura nobilium per udvornicos, castrenses, et populos domine Regine ac alios cuiuslibet condicionis homines occupata ad Comitatum Symigiensem transmisisset, et quinque homines de nobilibus ipsius, comitatus electos per omnes nobiles de eodem Comitatu, Johannem scilicet Comitem filium Isyp, Cosmam de Kuazna, Stephanum filium Deers, Gregorium filium Ibarus, et Thomam filium Mortun de Wislov nobis in socios deputasset, et ijdem quinque nobiles socij nostri iureiurando tacto sancto et uiuifice Crucis ligno Domini, domino Regi promisissent, quod non aliud nisi iura nobilium indebite per condicionarios occupata restituerent, et eciam secundario nobis tactis sacrosantis reliquijs et evangelio supra filios filiorum iurassent illud idem, et recepta tali caucione processissemus ad preceptum domini supradictum; Grab filius Benedicti de genere (Ratho)lt (?) de populis domine Regine de villa Kethyl quandam particulam terre sue hereditarie, quam de terra sua La(apa) vocata receptam et violenter occupatam esse dicebat coram nobis et coram coniudicibus nostris predictis, petivit per formam inquisicionis sibi reddi. Verum cum nos ad ipsam inquisicionem processissemus, scivimus veraciter, dictam particulam terre fuisse de iure hereditario Grab antedicti; ad maiorem tamen cautelam ipsum Grab super predicta particula terre personaliter constitutum ad personam suam et ad filios filiorum suorum iurare fecimus orribili iu-

ramento super eo, quod illa particula terre, quam reambulauit, fuerit ipsius hereditaria, et per dictos populos domine Regine indebite occupata. Cum itaque diligentissima inquisicione facta, et recepta iuramentaria caucione, ut prediximus, inuenissemus, dictam particulam terre de iure hereditario fuisse Grab antedicti, eandem ipsi Grab exclusis populis domine Regine de eadem restituimus hereditario iure perpetuo possidendam, et metas, sub quibus idem ipsam particulam terre possidere debeat, fecimus eleuari. Mete autem hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit a parte meridionali iuxta terminos terre Thome filij Thome iuxta quandam viam, ubi sunt mete; de inde vadit in eadem via versus septemtrionem et veniet ad duas metas terreas; de inde adhuc vadit versus septemptrionem ad finem unius silve, ubi sunt mete terree; de inde adhuc versus septemtrionem eundo descendit ad caput unius vallis, ubi sunt tres mete, et ibi coniungitur silve ipsius Grab, et sic terminantur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras sigilli nostri et sigillorum sociorum nostrorum munimine roboratas. Datum per manus magistri Sebastiani Cantoris de Posoga, et Canonici Albensis, Protonotarij nostri. Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo.

Jegyzet. Eredetie bőrhártya, mellynek alúl fölhajtott hasadékaiból hat pecsét függöt, de elenyészett. Másolta Horvát István. *Érdy.*

123.

Lőrincz nádor és somogyi főispán bírótársaival, a királyné szabadosai által elfoglalt Leta nevű földet Barlabas és Kilián nemeseknek, kikhez örökségi jogon tartozott, visszaadja. 1268.

Laurencius Palatinus et Comes Symigiensis vniuersis Christi fidelibus presencium noticiam habituris salutem in Domino sempiternam. Ad uniuersitatis uestre noticiam tenore presencium uolumus pervenire, quod cum nos dominus noster Illustris Bela Rex Hungarie ad reuocandas terras ac alia iura nobilium per vduornicos, castrenses, populos domine Regine et alios cuiuslibet condicionis homines occupata, ad Comitatum Symigiensem transmisisset, et quinque homines de nobilibus ipsius Comitatus electos per omnes nobiles de eodem Comitatu; Johannem Comitem filium Isyp, Cosmam de Koazna, Gregorium filium Juharus, Stephanum filium Deers et Thomam de Wyzlou nobis in socios deputasset, et ijdem quinque nobiles socij nostri iureiurando, tacto sancto et uiuifice Crucis ligno Domini, domino Regi promisissent, quod non aliud nisi iura nobilium indebite per condicionarios occupata, restituerent, et eciam secundario nobis tactis sacro sanctis reliquijs et euangelio super filios filiorum suorum iurassent illud idem, et recepta tali caucione processissemus ad preceptum domini Regis supradictum; Barlabas et Kylianus, filij Johannis, nobiles de Symigio de pastoribus domini Regis de Gadan quandam particulam terre sue hereditarie Leta vocate, continentem in se quinquaginta iugera, sicut per visum considerare potuimus, receptam et violenter occupatam esse dicebant coram nobis et coram coniudicibus nostris predictis, et per formam inquisicionis petiuerunt sibi reddi. Verum cum nos ad ipsam inquisicionem processissemus, scivimus veraciter, dictam terram fuisse de iure hereditario nobilium predictorum, ad maiorem tamen cautelam ipsos nobiles Barlabam scilicet et Kylianum super predicta terra per-

sonaliter constitutos, ad personas suas et ad filios filiorum suorum iurare fecimus super eo, quod illa terra, quam reambulaverunt, fuerit ipsorum hereditaria, et per predictos pastores indebite occupata. Cum itaque diligentissima inquisicione facta, et recepta iuratoria caucione, ut prediximus, invenissemus dictam terram de iure hereditario fuisse nobilium predictorum, eandem ipsis nobilibus restituimus hereditario iure perpetuo possidendam, et metas, sub quibus ijdem nobiles possidere debeant ipsam terram, fecimus eleuari. Mete autem ipsius terre hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit a parte occidentali, et iuxta quandam silvam sunt due mete; deinde uadit ad partem orientalem et peruenit ad duas metas terreas; de inde declinat ad partem meridionalem, et peruenit ad duas metas, in quarum una est arbor piri et alia terrea; de inde flectitur iterato ad partem orientalem et peruenit ad duas metas terreas; dein declinat ad partem septemtrionalem in quadam ualle, et pervenit ad dus metas, in quarum una est arbor salicis et in alia arbor *rakacia;* de inde peruenit ad duas metas, quarum una est terrea, et in alia est arbor *racatia* uulgariter vocata, et ibi mete ipsius terre terminantur. In cujus rey memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras sigilli nostri et sigillorum sociorum nostrorum munimine roboratas. Datum per manus magistri Sebastiani Cantoris de Pasaga et Canonici Albensis, Prothonotarij nostri. Anno Domini M°. CC°. sexagesimo octavo.

Jegyzet. Eredetie bőrhártya, mellynek alúl fölhajtott hasadékaiból hat pecsét függött, de elenyészett. Másolta Horvát István. *Érdy.*

124.

Lőrincz nádor és somogyi főispán bírótársaival a királyné szabadosai által elfoglalt Bard nevű földet előbbi birtokosainak visszaadja. 1268.

Laurencius Palatinus et Comes Symigiensis vniuersis Christi fidelibus presencium noticiam habituris salutem in Domino. Ad universitatis uestre noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum nos dominus noster Rex Illustris Bela Rex Hungarie ad reuocandas terras ac alia iura nobilium per vduornicos, castrenses et populos domine Regine ac alios cuiuslibet condicionis homines occupata ad Comitatum Symigiensem transmisisset; et quinque homines de nobilibus ipsius Comitatus electos per omnes nobiles de eodem Comitatu, Johannem scilicet Comitem filium Ysyp, Cosmam de Kuazna, Stephanum filium Dios, Gregorium filium Iharus, et Thomam filium Mortunus de Vislov nobis in socios deputasset, et ijdem quinque nobiles socij nostri iureiurando tacto Sacrosancto et uiuifice Crucis ligno Domini, domino Regi promisissent, quod non aliud, nisi iura nobilium indebite per condicionarios occupata restituerent, et eciam secundaris nobis tactis sacrosanctis reliquiis et Euangelio supra filios filiorum suorum iurassent illud idem, recepta tali caucione processissemus ad preceptum domini supra dictum; Ipolitus Comes, Vgra, Nicholaus, Valens, et Ipolitus, filij eiusdem Ipoliti Comitis, nobiles de Elya per Boda jobagionem uduornicorum de Villa Bard, quandam terram suam hereditariam Bard vocatam, receptam et uiolenter occupatam esse dicebant coram nobis, et coram coniudicibus nostris predictis, et per formam inquisicionis petiuerunt sibi reddi. Verum cum nos ad ipsam inquisicionem processissemus, sciuimus veraciter, dictam terram fuisse de iure hereditario nobilium de Elya predictorum. Ad maiorem tamen cautelam ipsos nobiles de Elya super predicta terra personaliter constitutos ad

Episcopo videlicet Olomucensi, fratre Hartperno Ministro Ordinis fratrum Minorum per Austriam, Hartlibo Camerario, Bohussone Marschalco, Nezemizel Pincerna Moravie, a predicto Rege Bohemie similiter cum pleno mandato destinatis, tractare et ordinare et diffinire possent omnia ad reformationem pacis facientia, que nos ipsi, si presentialiter cum ipso Rege Boemie convenissemus, ordinare et diffinire possemus pro nostri quiete animi ac nostrorum tranquillitate subiectorum; iidem Barones nostri considentes cum predictis Baronibus Regni Boemie ordinaverunt et assumpserunt iuxta mandati traditi sibi formam: Vt de cetero perpetua pax inter nos et ipsum Regem Boemie debeat observari, nec eidem Regi vel suis turbationes vel molestias inferemus, vel inferri per nostros paciemur, includentes eidem paci, et eadem vallantes Regna nostra, videlicet Ungariam, Dalmaciam, Croaciam, Ramam, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Comaniam, Bulgariam, totumque Ducatum Sclavonie, cum omnibus attinenciis eorundem, secundam signa, distincciones et metas antiquas, prout eciam progenitores nostri et antecessores Reges Ungarie usque tempus vite domini Bele gloriose memorie patris nostri possederunt et tenuerunt. Verum si termini hinc inde fuissent avulsi, vel mutati, venerabiles patres, dominus Archiepiscopus Strigoniensis et Episcopus Olomucensis, Deum et justiciam habentes pre oculis, super ipsisterminis et limitibus cognoscent, et id, quod legitime diffini- verint, per censuram ecclesiasticam partes facient observare: hoc adiecto; ut occasione terminorum seu limitum, de quibus dicti Archiepiscopus et Episcopus cognoscent, pacis puritas inter Regem Boemie et nos non turbabitur, nec nos cum eodem Rege relabimur in guerrarum discrimina recidiva. Pace huiusmodi inter nos et ipsum Regem reformata, et caucionibus tam litterarum autenticarum, quam iurisiurandi religione firmata, ut eadem robore subsisterre valeat firmiori, infra terminum inter Illustrem Regem Boemie et nos statuendum pro pacis multiplici firmitate, eidem Regi Boemie dari procurabimus et faciemus litteras magnifici domini Karuli Illustris Regis Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue et Comitis Forqualquerii, necnon litteras domini H., incliti Ducis Bawarie, presenti pace ex parte nostra inclusorum, super eo, quod

iidem paci, convencione seu composicioni nunc factis per nos et nostros Barones adhibebunt consensum, connivenciam et opitulacionem omnimodam inviolabiliter observandam; eo expressim cauto, tam in litteris Regis Sicilie, quam H. Ducis Bawarie predictorum, ut si nos pacem contingat, quod absit, infringere vel turbare, ex tunc iidem Rex et Dux nobis non assistent auxilio, consilio vel favore, sed se a nobis penitus separabunt: Rex autem Boemie sub eadem seu consimili forma nobis dari faciet litteras magnificorum virorum domini Henrici Misnensis et domini Ottonis Brandenburgensis Inclitorum Marchionum, cognatorum et amicorum suorum sub ea forma, ut si Rex Boemie aliquid contra pacem fecerit vel attemptarit, violando seu infringendo eandem, extunc iidem Marchiones a societate et amicicia Regis Boemie se penitus retrahentes, eidem contra nos non impercientur consilium, auxilium et favorem, et hoc expressim continebitur in eorundem Marchionum patentibus litteris, sigillis eorum autenticis pendentibus consignatis, que, ut dictum est, infra terminum per dictum Regem Boemie et nos moderandum nobis debent assignari. Ceterum quia quedam castra intra limites Regni nostri constituta, quorum principale dominium ad nos pertinet, Kuzeg videlicet, de Monte Sancti Viti, Slomuk, Perstan, de Chertus ac castra Farkasii de Zaguria, que Henricus, et duo castra Stago vocata, que Johannes filius eiusdem Henriei, ac castrum Dobra, quod Nicolaus et Stephanus filii Pauli, et castrum Row vocatum, quod Merch filius Gianur, qui a nobis transfugentes se ad Regem Boemie transtulerunt, detinent occupata, iuxta ordinacionem Baronum nostrorum et ipsius Regis Boemie recuperanda et habenda, de sua bona voluntate deseruit Rex predictus; adiciendo et expresse cavendo, quod detentores predictorum nec per Theotonicos, nec per Bohemos idem dominus Rex Boemie iuvabit vel iuvare permittet palam vel occulte, et nominatim non patietur eos iuvari contra nos in ipsis castris detinendis per homines, quos ipsis, Henrico scilicet et Johanni filio eiusdem, Nicolao et Stephano filiis Pauli, Laurentio filio Petri concessit, postquam se a nobis ad ipsum Regem Boemie cum ipsis castris transtulerunt; promittendo firmiter iuxta eorundem Baronum ordinacionem, quod de Regis Boemie castris nullum

nocumentum hominibus Regni Hungarie inferri pacietur Rex predictus per supradictos Henricum, Johannem filium eiusdem, Nicolaum et Stephanum filios Pauli, et socios eorundem, et adherentes eisdem; hoc expresse declarato, quod si iidem dampna, iniurias vel depredaciones aliquas hominibus Regni nostri quolibet ingenio, fraude vel machinamento inferre presumpserint, et super hoc Regi Bohemie per Hartlebum Camerarium, qui secundum formam composicionis impresenciarum facte ad investigandum et inquirendum hominem suum, cui super premissis credi debet, transmittere tenetur, facta fuerit certa fides, extunc eosdem omnibus possessionibus in quacumque parte Regni sui vel terrarum suarum, ab ipso domino Rege Boemie concessis et datis, spoliabitur et privabitur, nullo regressu temporis ad possessiones easdem reservato. Et ut expresse appareat, eosdem per ipsum Regem Boemie in sua malicia non foveri, ipsos sic privatos predictis possessionibus ubicumque ab eodem Rege datis et concessis, de Regni et Ducatuum suorum et terrarum sibi adherencium partibus excludere tenebitur, utpote pacis necessarie turbatores. Promittimus eciam secundum ordinacionem predictorum Baronum, quod non recipiemus in graciam nostram Henricum, Johannem, Stephanum, Nicolaum et Laurencium filium Petri, ac complices eorumdem supradictos cum castris et municionibus ab eodem Rege Boemie eisdem traditis et concessis in Regno et terris suis, vel in posterum concedendis. Sane quia per infideles et transfugas huc illuc inter mundi Principes discurrentes seminari solent pestifera pacis turbancia puritatem, que interdum ipsis Principibus non tam temporalis tranquillitatis commodum, quam vite future subsidia per guerrarum discrimina adimunt oportuna: promittimus iuxta ordinacionem predictam non receptare infideles ex parte ipsius Regis Boemie ad non transfugentes, nec eis subsidium vel benignitatem aliquam impertiemur; sed ipsos pocius tamquam male meritos excludemus, nec per nostros amicos vel subditos receptari vel foveri aliquatenus paciemur. Porro quia multiplex tanquam sanguinitatis vel affinitatis affeccio ad correlativum amorem nos possunt et debent mutuo incitare, pro observacione pacis nunc facte, et in posterum durature promittimus et assumimus, ut si aliqua

temporum processibus successivis contigerit suboriri hinc inde, que turbare possent pacis et concordie unionem, pace eadem nunc facta in suo robore permanente, super gravioribus, que ex parte hominum nostrorum contra homines Regis Boemie attemptata fuerint sive facta . . . Strigoniensis Archiepiscopus tam ordinaria iurisdictione, quam ex ipsius iurisdiccionis in eos, qui eidem Archiepiscopo subiecti non sunt, prorogacione nunc facta cognoscet, et que iudiciaria maturitate servata invenerit perperam attemptata, seu facta in preiudicium Regis Boemie et hominum suorum, diffinitiva senteneia reformabitur: postquam de cause meritis cognoverit, ut est iuris, et que diffiniverit, per censuram ecclesiasticam faciet observari, cum id nostri et ipsius Regis Barones ordinaverint iuxta traditam sibi formam, et nos ac ipse Rex Boemie assumpserimus, approbaverimus, emologaverimus premissa omnia et singula spontanea voluntate. Si vero aliqua praviora per homines Regis Boemie vel Barones eiusdem attemptata fuerint sive facta, per que nobis et hominibus Regni nostri posset preiudicium generari, super hiis venerabilis pater dominus Bruno Episcopus Olomucensis ex ordinaria iurisdiccione, quam omnes Barones et homines Regis Boemie in se prorogaverunt, cognoscet iuxta formam articuli proximo expressi, et quod diffinierit, execucioni mandabit, contradictores per censuram ecclesiasticam districtius compescendo. Et in huiusmodi cognicionibus, diffinicionibus et execucionibus causarum procedent iidem Archiepiscopus et Episcopus, Deum et justiciam habentes que oculis, postpositis gracia, timore, odio et favore. Iidem quoque Archiepiscopus et Episcopus in personam Regis Boemie atque nostram singuli singulatim promulgandi excommunicacionis sentenciam plenam habeant facultatem: cum nos et ipse in premissis subiecerimus personas nostras iurisdiccionibus eorundem. In minoribus vero causis, que hinc inde inter nostros et ipsius Regis homines emerserint, circa confinia Moravie duo ex parte nostra, videlicet Comes Pozoniensis et (Comes) Nitriensis, ex parte Regis Boemie Camerarius Moravie et Burcravius de Brumore; circa confinia Austrie ex parte nostra Comites Supruniensis et Musuniensis, ex parte Regis Boemie Castellanus de Haslar et Castellanus Nove Civitatis, Judices provin-

ciales; circa confinia Stirie ex parte nostra Comites Castriferrei et de Zala, ex parte Regis Boemie Capitaneus et Notarius Styrie; circa confinia Karinthie, Carniole et Marchie ex parte nostra Banus tocius Sclavonie, et ex parte Regis Boemie Capitaneus Karinthie, Carniole et Marchie deputabuntur, qui querelantibus hinc inde iusticie faciant complementum; et id quod fecerint, tam ipsius Regis Boemie, quam nostra auctoritate faciant observari. Quod si aliqui ex ipsis fuerint diem functi, successores ipsorum dignitatis hereditarii vel per alterutrum Regum substituti fungentur vice et partibus eorumdem. Item si inter amicos Regis Boemie et nostros aliqua discordia fuerit suscitata, pro causa huiusmodi contra pacem promittimus non venire: sed discordantes studebimus, si poterimus, ad pacem et concordiam revocare. Alioquin causa inter nos et ipsos discordantes exorta Archiepiscoporum et Episcoporum iudicio vel ordinacioni relinquitur, quam ipsi recipiant, et eidem parebunt sive stabunt. Quod si amici nostri hoc renuerint adimplere, nullum consilium et auxilium eisdem impendimus contra Regem Boemie supradictum. Si vero, quod absit, Rex Boemie pacis violator ex quacumque causa propria, vel amicorum suorum ac hominum terre sue inventus fuerit, vel turbator, ipso facto incidit in sentenciam excommunicacionis, quam ex nunc venerabiles patres Pataviensis, Olomucensis et Pragensis Episcopi tulerunt solempniter et in scriptis; et quod eadem sentencia teneat et astringat violatorem pacis et concordie cum effectu, ipse Rex Boemie subiecit se iurisdiccioni ipsorum Episcoporum, non obstantibus aliquibus litteris, indulgenciis seu privilegiis a Sede Apostolica impetratis vel in posterum impetrandis. Preterea ut multiplicatus funiculus pacem faciat pleniorem, Archiepiscopi Regni nostri iurauerunt, quantum in eis est, pacem presentem inter nos et ipsum Regem ordinatam tenere et servare, et nos inducere iuxta promissionis a se facte formam ad eandem mutuo observandam, et ad tenendum ea, que impresenciarum promisimus et promittimus, spopondimus et spondemus, sicut in ipsorum litteris plenius continetur. Promiserunt eciam per idem iuramentum et promittunt, quod si nos, quod absit, pacem infringere contigerit, vel ea, que in presens placitum sunt deducta, violare, iidem

Archiepiscopi et Episcopi et Regni nostri Barones nos deserent, et Regi Boemie adherebunt ex debito prestiti iuramenti. Verum si Regem Boemie pacem vel ea, que in placitum devenerunt, infringere contigerit vel turbare, Episcopi terrarum suarum et Barones eiusdem iuxta formam presentis composicionis et ordinacionis eum deserent, et nobis adherebunt ex debito prestiti iuramenti, sicut in ipsorum patentibus litteris continetur. Item Archiepiscopus Strigoniensis, qui ordinarius noster existit, et Archiepiscopus Colocensis, Aule nostre Cancellarius, et Suffraganei eorumdem, ex Baronum nostrorum voluntate exnunc sentenciam excommunicacionis promulgarunt, quam si nos, quod absit, pacem transgredi contigerit, ipso facto incurremus; et nichilominus iidem Archiepiscopi et Episcopi totum Regnum nostrum ecclesiastico subicient in suis Diocesibus interdicto, non obstantibus litteris seu indulgenciis impetratis vel in posterum impetrandis. Electus eciam Salzburgensis et venerabiles patres Pataviensis, Vrisingensis et alii Prelati Regni et terrarum suarum consimilem excommunicacionis sentenciam in scriptis solempniter tulerunt, quam ipse Rex Boemie ipso facto incurret, si transgessor pacis extiterit vel turbator. Et si in hac parte Archiepiscopi predicti tam Regnorum nostrorum, quam suorum negligentes in exequendis premissis extiterint vel remissi, punientur a dominis Cardinalibus, quorum jurisdiccioni se in hac parte subiecerunt, tamquam iuramenti prestiti transgressores. Barones insuper Regni nostri, Mois videlicet Palatinus, Comes Supruniensis et Judex Comanorum; Egidius Summus Camerarius aule nostre, Comes Pozoniensis; Nicolaus Judex Curie nostre, Comes Simigiensis; Joachinus Banus tocius Sclavonie; Mathias Woywoda Transilvanus et Comes de Zonuk; et Laurencius Banus de Zeurino et Comes de Doboca; Rolandus Banus; Petrus Magister Dapiferorum nostrorum, Comes de Swek (?); Albertus Magister Agazonum nostrorum, Comes Stibiniensis; Philippus Magister Pincernarum nostrorum; Ernerius Banus, Comes Worosdiensis; Porach Banus, Comes Zaladiensis; Michael Comes Nitriensis; Paulus Banus Comes Bathiensis; Dionisius Comes de Morocha; Magister Andreas Comes de Reuche; et Petrus Comes de Zana, ac alii quamplures iuraverunt, quantum in eis est,

pacem nunc factam fideliter observare, et nos inducere iuxta posse bona fide ad premissa nostra ac sua servanda, suis super hoc Regi Boemie litteris traditis et concessis. Ad hoc ut concordie et amoris dulcedo inter ipsum Regem Boemie et nos propagines suas faciat longiores, ordinatum extitit a predictis Baronibus Regis Boemie et nostris ad tractatum presentis pacis specialiter deputatis, ut idem Rex Boemie Lombardum Stephanum, nepotem Marchionis Estensis, et nos Philippum Electum Aquilegensem a nostra societate excludere deberemus. Nos itaque iuxta placita et ordinacionem Baronum nostrorum iuramento firmatam exclusimus et excludimus a nostra societate et amicicia omnimodis eundem Philippum, non obstantibus litteris concessis eidem, et promissionibus sibi factis; eidem itaque non assistemus consilio, auxilio et favore: cum idem Rex Boemie Stephanum predictum similiter excluserit de sua societate, familiaritate et amicicia, et penitus removerit; seu omnino et specialiter assumpserit, non receptare vel fovere eundem in suis et amicorum suorum finibus sive terris, promittens eum excludere et excludi facere de eisdem. Exclusimus eciam et excludimus Wilhelmum de Sarfenberch et Nicolaum de Lebenberch a nostro servicio, gracia et favore, promittentes in defendendis et detinendis castris ipsorum contra Regem Boemie et suos non iuvare. Item renunciamus iuri et accioni, quod et que videbantur nobis competere, seu eciam competebant in Ducatibus Stirie, Karinthie, Carniole et Marchie, nullam de cetero nostro vel heredum nostrorum nomine contra ipsum Regem et suos heredes moturi materiam questionis. Renunciamus insuper juri et accioni nobis et nostris heredibus competentibus de insigniis Regalibus; corona videlicet, gladio, monili, sella, scutellis et aliis clenodiis ac thesauro delatis per dominam Annam in Regnum Boemorum. Item predicte ordinacioni et paci includi volumus et includimus excellentes dominos, Philippum Francorum et Karulum Sicilie Reges Illustres; Karulum juniorem Primogenitum ipsius Regis Karuli, generum nostrum; Michaelem Angelum Paleologum Imperatorem Grecorum; Andronicum juniorem Imperatorem Grecorum, generum nostrum; Bouzlaum Cracovie et Sandomerie Boizlaum Maioris Polonie; Henricum Bawarie Inclitos Duces,

genereros nostros; Belam Ducem de Mac'.ow et de Bozna, fratrem nostrum; Urossium Regem Servie, et Stephanum filium eius, juniorem Regem Servie, generum nostrum; Swetizlaum Imperatorem Bulgarorum; et Leonem generum nostrum, Ruthenorum Ducem; Mitizlaum fratrem eiusdem; et Wazulem filium Wazule Duccs Rutenorum; aliosque fideles fautores et familiares nostros cum filiis, omnibus terris, Regnis, Ducatibus, iuribus ac possessionibus eorundem. Insuper promisimus et promittimus iuxta ipsorum Baronum nostrorum ordinacionem, quod a dominis Cardinalibus, vacante nunc Sede Apostolica, obtinebimus, transmissis nostris nunciis, confirmacionem pacis nunc facte; hoc adiecto, quod nostri et ipsius Regis Boemie nuncii circa festum Sancti Michaelis nunc venturum iter arripient, et in festo Omnium Sanctorum proximo sequenti se dominorum Cardinalium conspectui presentabunt; et confirmacionem nostris sumptibus et expensis obtentam faciemus ipsi Regi Boemie assignari. Idem autem Rex per suos nuncios impetrabit consimiles confirmacionis litteras, suis expensis et sumptibus nobis dandas. Creato vero Papa, confirmacionem sub simili vicissitudine alterutri nostrum dandam faciemus, largiente Domino, impetrari. Dampna autem illata hinc inde compensacione mutua sunt sublata, iuxta ordinacionem sepius memoratam. Ut igitur premissa universa et singula per nos inviolabiliter observentur, nec successivorum mutacione temporum infringi valeant, vel aliquatenus vacillare, iuravimus et iuramus tactis Sacrosanctis corporaliter Evangeliis, multorum Sanctorum reliquiis, et vivifice Crucis ligno, ut transgressor promissorum propter infamie notam, quam ex transgressione iuramenti incurret, Divine acrimoniam senciat ulcionis, ut cum Chore, Datan et Abyron recipiat porcionem, Dei Omnipotentis et gloriose Virginis et Sanctorum omnium suffragiis destitutus. In cuius rei testimonium ac perpetuam memoriam, ac munimen presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum in castris apud Posonium, anno Domini MCCLXXI. Regni autem nostri anno secundo, V. Nonas Julii.

(X. Gergely pápa 1272-ki megerősítéséből, Theinernél, Monumenta Hist. Hung. Sacr. I. köt. 299. l. Töredékét közzé tette már Fejér Cod. Dipl. V. k. I. r. 124. l.; lásd ugyan Fejér munkáját VII. k. 5. r. 378. l.)

153.

V. István király a cseh háboruban elesett Pouka nevü hívének családját, Trencsin megyei birtokával együtt nemesíti. 1271.

(S)tephanus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex omnibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod cum contra Regem Boemie armatam miliciam mouissemus pro nostra et Regni iniuria propulsanda, ibique Diuina opitulante clemencia contra eundem Regem Boemie nobis victoria celitus arrisisset, ac demum in Regnum eiusdem Regis Boemie destinassemus quandam nostrorum militum legionem; eisdem sub castro Bruno preliantibus laudabiliter, inter reliquos Pouca filius Moghud de Garna in Comitatis Trinchiniensi occubuit fideliter dimicando. Nos igitur attendentes, quod hij qui in acie pro patria moriuntur, uiuere intelliguntur per gloriam, uolentes eiusdem Pouce obsequia graciosa in suis superstitibus et posteris benignitate Regia compensare, ad supplicacionem nichilominus Moghud patris eiusdem Pouce, ipsum Moghud et filium eius, cum terris ipsorum, in quibus actenus resederunt, Lyzko et Guarna uocatis, exemptis a castro Trynchiniensi in numerum seruiencium Regalium sub metis antiquis, sicut ante pacifice possederunt, duximus transfferendos. Vt igitur huius nostre concessionis series irretractabiliter perseueret, presentes ipsi Moghud et Michaeli filio suo concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Prepositi Orodiensis, aule nostre Vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CC° septuagesimo primo, Regni autem nostri anno secundo.

(Eredetie a Nemzeti Muzeum kézirati gyüjteményében.)

154.

V. István király Inárcsi Tamást, Pált, Fenét és Ombot, Jakab a székes-fehérvári vár emberének fiait, kiket azon szolgálataikért, melyeket neki mint erdélyi vezérnek még atyja Béla király életében tettek, Inárcson lévő részbirtokukkal ugyancsak a fehérvári várjobbágyok sorába emelt volt, ezen állásukban, miután az ország kormányára jutott, földeikkel együtt ujólag megerősíti. 1271.

Stephanus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie uolumus peruenire: Quod cum Thomas, Paulus, Fene et Omb, filij Jacobi castrensis castri Albensis de villa Inarch, nobis adhuc eo tempore, quo superstite karissimo patre nostro Bela Rege Hungarie inclite recordacionis Ducatum Transiluanum tenebamus, diu et cum omni fidelitate seruiuissent indefesse, nos eos propter ipsorum meritoria obsequia ab officio seu condicione castrensium, ex quibus, ut premisimus, originem duxerant, exhimendo, in numerum et libertatem nobilium jobagionum eiusdem castri cum terris ipsorum porcionem eorundem in dicta villa Inarch contingentibus duximus transferendos, nostrum eis super hoc priuilegium concedendo. Verum cum postmodum nos Domino propicio plenum Regni gubernaculum adepti fuissemus, seruicia eorundem Thome, Pauli et fratrum suorum pedictorum in memoriam reuocantes, nos eosdem Thomam, Paulum, Fene et Omb, propter ipsorum seruicia meritoria nobis fideliter exhibita et inpensa, de benignitate Regia, prout eos tempore Ducatus nostri transtuleramus, reliquimus et transtulimus, ymmo translatos dimisimus in ipso eodem jobagionatu castri simul cum terris ipsorum perpetuo pormanere; volentes ut

de cetero ipsi et ipsorum heredes heredumque suorum successores in numero et jobagionatu dicti Castri computabiles habeantur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes dedimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Prepositi Orodiensis, aule nostre ViceCancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M.° CC.° septuagesimo primo, Regni autem nostri anno secundo.

(Eredetie bőrhártyán kiváltságlevél alakjában van Nagy-Kőrösön az Inárcsi Farkas testvérek levéltárában. Pecséte, mely vörös selyemről függött, elveszett. *Szabó Károly.)*

Jegyzet. Ugyan az Inarcsi Farkas testvérek levéltárában találtatik egy másik okmány eredetie is, mely a fenebbivel szóról szóra megegyez, de csak nyilt levél alakjában. Ennek hátára nyomott pecséte is elveszett.

155.

II. Otakar cseh király panaszlevele V. István magyar király ellen, hogy az 1270-ki békességet nem tartotta. 1271.

Grande scelus, nefandum crimen et detestabilem perfidiam, per Stephanum Regem Ungariae in Christianum populum perpetratam, ad aures vestras deferimus cum querela, utpote ad eorum, qui Christiani Principes estis, et qui merito ad compassionis dolorem excitari debetis ex traditione filiorum Sanctae Matris Ecclesiae et jactura nominis Christiani Ecce enim cum eodem Rege St. treugas nunc a festo Beati Galli usque ad festum B. Martini, et abinde per duos annos continuos duximus statuendas, quae ad stabilem observantiam earumdem tam nostris quam ipsius, quam etiam Archiepiscoporum, Episcoporum et Baronum in terris utriusque nostrum morantium literis vel promissionibus fuerant stabilitae, interpositis corporalibus fidei sacramentis vicibus repetitis, et authenticis privilegiis super eo praestitis hinc et inde. Sed ipse Rex St., cujus stabilitas est, esse instabilem, et fides, perfidiae deservire, sicut patet ex operum argumentis, non renunciatis treugis, nobis non diffidatis, nobis non praemunitis, nobisque nil tale timentibus, sed de partibus Karinthiae, Carnioliae, et Marchiae, ubi quosdam infideles nostros, qui se contra nos in rebellionem erexerant, ad nostrae retraximus dominium potestatis, sub treugarum praetextu secure versus Austriam dirigentibus iter nostrum, spicula non ultra dissimulans perfidiae, quae etiam in suis parentibus exercuit aliquando, fidem datam violans, promissiones irritans, concessa privilegia vilipendens, dictam terram nostram Austriae fraudulenter invasit, in ipsa proh dolor per Comanos et alios infideles Christi effundens profluvium sanguinis Christiani. O quis Christianus Princeps digne non compatiatur? O quis Catholicae religionis zelator merito poterit non dolere? quod manus barbara, manus canina, in locis diversis

sacram pedibus conculcavit eucharistiam, sacerdotes tormentorum affecit martyriis, devastavit ecclesias, sanctuaria profanavit, virgines et juvenes abduxit captivitati perpetuae redigendos et nocenter effudit sanguinem innocentum, non parcens conditioni, sanguini, sexui vel aetati. Quare profecto vos rogamus attentius et hortamur, ut velitis, si non nobis, saltim Christianis, quorum sanguis effusus est in creatoris contumeliam, condolere. Adhaec etiam, ut immanitas criminis vos ad compassionem excitet ampliorem, ad id vestrae discretionis acclinetis acumen et interiores cordis oculos diligentius convertatis, quod si nos, quod absit, qui murus vester sumus contra perfidas nationes, corruerimus, et paries nostrae potentiae fuerit perforatus, vos de cetero sciatis consimilis jucturae periculo subjacere; nam sicut describit auctoritas, „Res tua tunc agitur, paries cum proximus ardet," quoniam mala vicina et imminentia, si eisdem non tempestivis remediis obvietur, laedere ac nocere facilius consueverunt. Ut igitur formam privilegiorum super treugis hujusmodi confectorum, quam ad noticiam domini Papae, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum et omnium Christianorum deferre volumus, ut nostram innocentiam et inauditam injuriam nobis factam audiat totus mundus, atque etiam ut singulas conditiones, quibus treugae eaedem sunt vallatae, plenius cognoscatis, ecce vobis de verbo ad verbum transscriptum mittimus eorumdem, sigilli nostri munimine roboratum.

(Palacky, Über Formelbücher, 275. l.)

156.

Kunegunda cseh királyné nagybátyjához, V. István magyar királyhoz, a királyok közt tervezett találkozás tárgyában. 1271.

Exultare et laetari carnalis unio caritatis alterius ad alterum mutuo nos excitat et invitat in cunctis prosperis et gratuitis (így) successibus nostri pariter et nostrorum promptius, quod cum desiderio cordis et animi audire semper nos delectat bonum statum vestrum et salutem corporis vestri ac vestrae uxoris, nostrae sororis carissimae, puerorum quoque vestrorum; quia haec et alia quaecumque gaudia vestra et solatia propria, sicut expedit, per omnia reputamus; summe difidentes (így), quin imo sperantes firmiter vice versa, haec eadem nostra esse similiter vobis cordi. Quae annuncianda vobis duximus in praesenti, quia videlicet et nos cum dilecto domino et marito nostro ac nostris filiabus carissimis in jocunditate et laetitia vivendo salubriter per Dei providentiam in omuibus prosperamur. Verum quia scripsistis aliquando dilecto domino nostro et marito, super habendo secum personaliter colloquio, ad conferendum, quae mutuo vos contingerent elterutrum ardua negotia, vel saltem ut haec eadem pertractarentur per suos et vestros fideles Barones missos a latere vestri hinc et inde, si convenire occupati forsitan personaliter non possetis, multis arduis obstantibus impedimentis, cum convenire hactenus nequiveritis ad invicem personaliter, restat, sicut scripsistis sibi aliquando, si placitum adhuc vobis fuerit, ut fideles nostri et vestri conveniant quando volueritis, et pertractent loco vestri singula quae tractanda habueritis facta vestra.

(Palacky u. o. 286. l.)

157.

Kunegunda cseh királyné ugyanennek ajánlja testvérét, anyját és rokonait. 1271.

Vestri nobis retulerunt nuntii, conquerentes ex parte vestra de carissimo fratre nostro; cujus etiam scripta et nuntium recepimus, conquerentem nobis cum lacrymis, quod omni affectu et desiderio cordis plenae fidelitatis et constantiae vobis potius quam alicui alteri usque in mortem paratus servire numquam desisteret, dummodo in suis angustiatus necessitatibus, quae proh dolor! multae et magnae sunt, vestro favore et auxilio foveatur. Et quia hoc hactenus sibi defuit circa vos, quid aliud restitit anxiato, nisi ut se reciperet, ubi posset utcumque vitam inopem defensare. Igitur afflictum non culpando, qui sanguis et caro vestra, potius sibi compati dignemini misericordiae visceribus, quam persequi et conqueri de eodem. Placeat Vestrae Dilectioni carissimae supplicantes nos exaudire favorabiliter de eodem, et placato animi vestri gravamine, ipsum, ut praemisimus, ad vestra velitis obsequia revocare, juxta proverbium sapientis: ignotum tibi tu noli praeponere notis. Sic igitur assit sibi revocato vestra benignitas, ut carissimae dominae et matris nostrae, ac aliorum nostrorum et vestrorum carnalium per vestram industriam graciae reformetur. His enim bonis operibus honor et gloria clarescet lucidius famae vestrae, nobis quoque numquam possetis gratius beneficium exhibere. Cogimur etiam imputare vobis amicabiliter, quod nos salutationis et visitationis vestrae inmeritas facitis sine causa: sed regratiamur affectuose carissimae sorori nostrae, vestrae conjugi, quae salutando nos amicabiliter per suas litteras visitavit.

(Palacky u. o. 284. l.)

158.

Kunegunda cseh királyné Erszébet magyar királynéhoz ugyan azon tárgyban. 1271.

Dilectioni vestrae, soror carissima, sincerissime regratiamur, quod nos vestris literis et nuntio dignata estis affectuosissime salutare, de nostra salute et filiae nostrae carissimae sospitate congaudentes. Gaudemus et nos de salute mariti vestri carissimi atque vestra bona fide; petentes, soror carissima, ex parte vestra hoc nobis concedi pro magno beneficio et amore, ut omnibus persuasionibus et precibus, sicut potestis, inducere dignemini maritum vestrum et dominum, ut compassus afflictionibus carissimi fratris nostri, promtum et paratum ad sua se exponentem obsequia et mandata, revocare dignetur favorabiliter, complectendo potius eum, quem carnis et sanguinis debitum sibi stringit; maxime, cum ex hoc illustretur famae suae titulus longe lateque ampliori gloria et honore. Nos quoque, quamdiu vivimus, vobis et sibi ex hoc singularibus volumus beneficiorum meritis complacere. Instet igitur vestra bonitas, soror carissima, ut procurante vestro suffragio idem frater carissimus noster revocatus, carissimae dominae et matris nostrae ac aliis nostris carnalibus favori et gratiae reformetur.

(Palacky u. o. 284. l.)

159.

Kunegunda cseh királyné Farkas magyar barátot valamely római főpapnak ajánlja. 1271.

Ad vestram Paternitatem tamquam ad eum, in quo specialem spem habemus promotionis agendorum nostrorum, confugimus affectuose supplicantes, quatenus causa nostri hoc impetrare dignemini circa dominum Papam, ut frater Farchasius ordinis fratrum minorum, noster fidelis, accedente consensu et licentia favorabili ejusdem domini Papae, sibi stare liceat in Ungaria in domo aliqua sui ordinis, ubi apertam sibi mansionem duximus eligendam. Quod pro speciali nobis impenso beneficio reputamus.

(Palacky u. o. 292. l.)

160.

Magyarország főurai II. Otakar cseh királyhoz a békekötés tárgyában. 1271. juniusban.

Literas Celsitudinis Vestrae debito recepimus cum honore, continentes, quod vobis, qui pacis estis filii et bona pacis diligitis cum omnibus Christi fidelibus, maxime tamen cum his, qui Serenitati Vestrae cognationis funiculo conjunguntur, pacis procuratio bene placet. Nos etiam proposito nostro et literarum vestrarum serie audientiae domini nostri Regis Ungariae ex ordine recitato, pium ipsius animum multis suadentes rationibus induximus ad pacem amandam et

concordiam reformandam secundum licitum et honestum; Majestatem Vestram attentius inducentes, quatenus ad finem debitum tanto negotio imponendum vobis a Domino tradita sapientia festinetis, accelerando, quod pacis tractatus exigit et requirit, ne mora protractionis cadat in multorum perniciem animarum. Sciturі, domino nostro Regi de novo de exteris regionibus maximum advenisse populum armatorum; nec esset Deo placitum mutuis caedibus litare sarguinem subjectorum. Quod vero nota dignum reputastis, qualiter venerabilis, pater dominus Ph. Archiepiscopus Strigoniensis hujusmodi pacis tractatui non affuerit, nec per literas suam intentionem voluerit reserare, qui antea circa tractatum pacis habendae fideli animo et devoto studio laboravit: nos enim rogamus affectu (így), sed ipsius laboris intentio nullum invenit effectum. Intererit tamen finaliter tanto negotio reformando, si ad meliora Dominus vicissim produxerit et direxeret aciem Vestrae mentis.

(Palacky u. o. 270. l.)

161.

A győri káptalan bizonyságlevele, hogy a puki monostor Gyarmat nevű birtokát Sándor mesternek eladta. 1271.

Nos magister Chepanus Prepositus et Capitulum Jauriensis Ecclesie damus pro memoria: Quod constitutis coram nobis ex vna parte magistro Alexandro filio Farcasii de Puk, et fratre Sebastiano Preposito de Puk cum fratre suo Mako pro se et Conuentu suo, idem Prepositus presentibus Comite filio Graas; Comite Johanne pro se et pro Comite Deta fratre suo, item magistro Thoma et Comite Luka ac Nicolao filio Martini pro se et pro omnibus cognatis suis, patronis monasterii sui, est confessus, quod possessionem Gyarmath voca-

tam, quam Petrus filius Pauli inter alias donaciones suas pro remedio anime sue de consensu cognatorum suorum predictorum monasterio de Puk contulerat, vendidisset prefato magistro Alexandro pro quinquaginta marcis denariorum Viennensium decem pensis pro qualibet marca computatis, cum syluis, feneto et omnibus utilitatibus suis perpetuo possidendam, et quod eandem pecuniam plenarie recepisset ab eodem, cui eciam vendicioni jam dicti patroni consensum adhibuerunt liberalem; et renunciauit idem Prepositus priuilegio nostro super donacionibus dicto Petro emanato, quantum ad possessionem Gyarmath memoratam, saluis aliis articulis in eodem priuilegio contentis; insuper eciam cessit et renunciauit omnibus et singulis litteriss in figura judicii super eadem possessione contra eundem Alexandrum impetratis, que casse et inutiles habebuntur, ubicunque fuerint presentate. Predicti eciam nobiles renunciauerunt juri, si quod eisdem in eadem possessione competere videbatur, tam racione juris hereditarii, quam eciam patronatus. Unde idem magister Alexander super huiusmodi contractu litteras nostras priuilegiales sibi dari postulabat: sed superueniens domina relicta Ughud, fratris ejusdem magistri Alexandri, prohibuit et contradixit protestando et dicendo, quod medietas ipsius possessionis filio suo Ughud competeret ad emendum, quod tam idem Alexander, quam predicti patroni in nostri presencia concedebant, si medietatem pecunie, pro qua ipsa possessio ad Alexandrum memoratum est deuolunta, refunderet Alexandro prenotato. Sed eadem domina nec instantanee persoluit, nec ad soluendum terminum assumpsit. Vnde ipsis taliter contendentibus de dandis litteris nostris priuilegialibus supersedimus, donec ipsorum contencio sopiatur; medio autem tempore ipsa terra apud Alexandrum remansit possidenda. Datum feria sexta ante festum Thome Apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo.

(A győri káptalan 1279-ik átiratából.)

162.

A győri káptalan bizonysáylevele, hogy Tamás hantai prépost ulas nevű földét a pannonhalmi apátságnak eladta. 1271.

Capitulum Jauriensis Ecclesie vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod magistro Thoma, Preposito Hantensi, Concanico nostro personaliter ex vna parte, et fratre Henrico monacho, ac Wosos jobagione Monasterii Sancti Martini pro venerabili viro domino B(onifacio) Abbate eiusdem Monasterii ex altera coram nobis constitutis ; idem Thomas Prepositus est confessus, quod terram suam Nulos vocatam cum suis vtilitatibus et pertinenciis, sufficientem culture decem aratrorum, ac cum viginti et quinque vineis super eandem terram existentibus ex collacione domini B(ele) Regis Hungarie felicis recordacionis possessam, et priuilegio Stephani Regis Hungarie, filii eiusdem, confirmatam vendidisset eidem domiuo Abbati et Monasterio predicto pro viginti marcis denariorum iure perpetuo pacifice possidendam eodem statu, quo idem Thomas Prepositus dinoscitur possedisse, quas viginti marcas idem Tbomas Prepositus coram nobis recepit ab eisdem ex integro. Priuilegium autem ipsius domini Regis Stephani, quod idem Thomas Prepositus super collacione et confirmacione ipsius terre impetrauerat, predictis procuratoribus Abbatis et Monasterii statuit coram nobis. Cuius quidem terre mete, sicut in litteris eiusdem domini Regis vidimus contineri, hoc ordine distinguuntur. Prima meta incipit ab oriente iuxta terram monasterii Sancti Martini, et uadit cum binis metis ad meridionalem partem iuxta eandem terram monasterii; et inde vad it ad occidentalem partem ad terram ville Posnem populorum domine Regine; et inde flectitur ad septemtrionem tenendo metas cum populis castri Jauriensis et tauarnicorum domini Regis; exinde uenie

(igy) ad primam metam tenendo binas metas iuxta terram monasterii Sancti Martini, et sic cursus metarum dicte terre terminatur. In cuius rei memoriam presentes litteras ad peticionem parcium concessimus sigilli nostri munimine roboratas, anno Domini M° CC° LXXI., Chepano Preposito, Hectore Cantore et Micone Custode existentibus.

(Eredetie a sz. mártoni főapátság levéltárában.)

163.

A veszprémi káptalan bizonyságlevele, hogy Favus prépost veszprémi birtokát Illésre, Pál fiára, Ajka nemzetségből, átruházta 1271.

Capitulum Ecclesie Vesprimiensis omnibus presentes inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod vir nobilis et discretus magister Fauus Prepositus noster stans in medio nostri retulit et exposuit viua voce, quod cum ei Elyas filius Pauli de genere Ayka, consanguineus suus perdilectus ab infancie sue primis temporibus incipiendo seruiuisset deuote, fideliter et indefesse, eidemque seruiciis digna et meritoria solucione ac debitis stipendijs minime respondisset; quia pium erat, ac opus suadebat caritatis et justicie, vt eius seruicia absque remuneracione congrua et plenaria non debebant aliqualiter preteriri; ideo dominus Prepositus memoratus fundum curie sue existentem iuxta curiam magistri Pauli Cantoris nostri a parte meridionali cum edificijs et alijs vtilitatibus suis totalem, et fenetum quantitatis duorum iugerorum vel paulo plurium aut paucorum situm a parte aquilonis iuxta fenetum Prepositure Ecclesie nostre saluo ure eiusdem, quod per magist rum Rugas Custodem, et Comitem Ghagham officialem nostros, videlicet sub antiquis si-

gnis et terminis est assignatum et statutum in prato Ratholt, ac centum iugera terrarum arabilium existencia in territorio Vesprimiensi, empticia sua, omnia premissa et singula premissorum prefato Elye et eius heredibus heredumque posteritati contulit in perpetuum et donauit pacifice possidenda. Insuper astiterunt omnes populi de Vesprimio, tam nobiles, quam eciam nostri jobagiones et condicionarij populi, nec non et aliarum libertatum et variorum dominorum homines, nominatim autem et expressius ex eisdem Johannes clericus, Comes Paulus filius Zobor, Betleem centurio, Michael filius Egidij, Thek filius Thekez, et Bok; qui vnanimiter et equaliter ipsum Elyam et eius successores irreuocabiliter in suos conuillanos et socios spontanee receperunt. Ex quibus quidem iugeribus terre, prout ab ipso domino Preposito et populis ville Vesprimiensis intelleximus euidenter, quatuor iugera sunt supra vallem Wamus Ozov vulgariter nuncupatam ab oriente, cui vicina est terra Beate Virginis Catharine; quinque iugera sunt ab occidente circa vallem Balaccha, quorum finis iacet ad magnam viam; item decem et septem iugera sunt in valle Balacha, quorum commetanea est terra magistri P. Canonici prenotati a septemtrione; item viginti duo iugera sunt iuxta magnam viam Sahtuth a vulgo vocatam a parte meridionali; decem autem iugera sunt de terra fimata iacencia penes terram Comitis Sughe versus fontem Kama; item decem et septem iugera sunt iacencia supra viam Poloznuk, tria iugera circa viam Zobozouth appellatam et tria ibidem ab alia parte, que separantur per viam antedictam; ibi vicina est terra Johannis filij Johannis, et in fine eorundem ab occidente sunt sex iugera circa viam Zobozouth vocatam; item viginti duo iugera sunt prope ad viam, per quam ad syluam itur Comitatus Vesprimiensis, que iacent similiter ad eandem syluam et ad territorium Porlogyerce dictum; quibus vicinatur terra Jacobi filij Olbeus a meridionali parte, a septemtrione autem sunt due arbores piri; item quatuor iugera sunt prope ad vallem Zabaozov, in medio quorum est via Kechkeozovth nominata, quibus a meridie terra Matthie filij Nicolai, a septemtrione autem terra Ecclesie Beati Nicolai, sicut id dicitur, vicinatur. Huiusmodi tamen articulo interiecto, quod donec dominus Prepositus vixerit Diuina gracia mediante,

premissorum omnium vtilitates, fructus et vsum, si voluerit, prout hactenus, percipere poterit iuxta sue libitum voluntatis; presentem autem donacionem reuocare et retractare non poterit ullo modo. In cuius rei testimonium et memoriam perpetuam presentes litteras ad peticionem domini Prepositi et instanciam omnium villanorum de Vesprimio ipsi Elye concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Bogezlay Lectoris Ecclesie nostre, anno Domini M° CC° septuagesimo primo. Reverendo in Christo patre domino Paulo Episcopo nostro; magistro Paulo Cantore, Rugas Custode existentibus.

(Eredetie a veszprémi káptalan levéltárában.)

164.

A veszprémi káptalan bizonyságot tesz arról, hogy Farkas, Deszmics fia, örök birtokából két ekényi földet a Rinya vize mellett (Somogy megyében) Rinyamelléki Györgynek és testvéreinek nyolcz márkáért örökre eladott. Kelt 1271-ben.

(C)apitulum Wesprimiensis Ecclesie omnibus presentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Farcasius filius Dezmych, sicut idem dixit, ab una parte, et Jurk filius Pangracij de juxta Reynna ab altera parte coram nobis constituti personaliter retulerunt, quod predictus Farcasius ex permissione filiorum suorum de possessione sua hereditaria, terram quantitatis duorum aratrorum ad partem meridionalem metis et terminis separatam, prefato Jurk, Schente, Gregorio et Nicolao fratribus eius octo marcis receptis plenarie ab eisdem, uendidit et assignauit perpetuo et pacifice possidendam. Cuius quidem terre mete hee sunt. Prima uidelicet meta est incipiendo a fluuio Reynna a parte

meridionali in spacio duorum amplexuum ad quendam fontem; exinde itur per binas metas in decem locis existentes uersus orientem ad quandam vallem Galnasuelg uocatam, et reflectitur in eadem valle ad partes meridionales, in cuius vallis fine sunt due mete abhinc per duplicatas metas in decem locis erectas, currit ad occidentem iterato ad aquam Reynna, circa quam est meta finalis, iuxta portum Orev nuncupatum a parte septemtrionis, sicut partes exposuerunt. In cuius rei testimonium et memoriam presentes literas ad peticionem et nstanciam utriusque partis concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Bogezlay Lectoris Ecclesie nostre, anno Domini M-° CC-° septuagesimo primo. Reuerendo in Christo patre domino Paulo Episcopo nostro, magistro Fauo Preposito, Paulo Cantore, Rugos Custode existentibus.

(Eredetie a b. Wesselényi család levéltárában..
Közli *Szabó Károly.*)

165.

V. István király megerősiti Endre beszterczebányai biró számára IV. Bélának 1263-ki erdőadományozását. 1272.

Stephanus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem et perpetuam pacem. Justis petencium desideriis animum condescendere tam vigor equitatis, quam ordo exigit racionis, dummodo id, quod petitur, juri non prejudicet alieno. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod Comes Andreas de Bysterchebana ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis priuilegium karissimi patris nostri Bele felicis recordacionis Regis Hungarie, confectum super quadam sylua et terra inter Bysterchebana et Lypsche existentem, petens cum instancia vt nos ipsum priuilegium ratum habere et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cujus quidem priuilegii tenor talis est:

Bela Dei gracia Hungarie stb. (következik IV. Béla király 1263-ki privilegiuma, mint fenebb 81. sz. a,)

Nos igitur ad peticionem ipsius Comitis Andree fauorabiliter inclinati prememoratam syluam et terram sub eisdem metis et terminis, quibus antea extitit limitata, eidem et per eundem suis heredibus heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus et contulimus perpetuo et irreuocabiliter possidendam. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes sibi dedimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis Prepositi, aule nostre ViceCancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, Regni autem nostri anno secundo. Venerabilibus patribus Philippo Strigoniensi, Stephano Colocensi aule nostre Cancellario, Johanne Spalatensi Archiepiscopis Lamperto Agriensi, Briccio Chanadiensi, Job Quinque Eccle-

siensi, Philippo Vaciensi aule domine Regine Cancellario, Paulo Vesprimiensi, Tymotheo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transiluano Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Moys Palatino Comite Supruniensi, Judice Cumanorum, Nicolao Judice Curie Regie Comite Symeghiensi, Egidio Magistro Tauernicorum Comite Posoniensi, Joachimo Bano tocius Sclauonie, Matheo Vaynoda Transsiluano, Comite de Zonuk, Laurencio Bano de Zeurino Comite de Doboka, Petro Magistro Dapiferorum nostrorum Comite de Guechke, Alberto Magistro Agazonum Comite de Zybinio, Philippo Magistro Pincernarum, Paulo Bano Comite Bachiensi, Georgio Magistro Tauernicorum domine Regine Comite Zaladiensi, Michaele Comite Nitriensi et aliis quam pluribus Comitatus Regni tenentibus et honores.

(Az esztergami káptalan 1338-ki átiratából. Besztercebánya városnak a kir. fiscus ellen használt permelléklete.)

166.

V. István király Peerchen lévő birtokot magszakadás alapján adományoz Chepánnak, Szemere fiának. 1270—1272.

Nos St(ephanus) Dei gracia Rex Hungarie significamus tenore presencium vniuersis: Quod cum Johannes filius Whud de Peerch sine herede decessisset, et bona ipsius de Regni consuetudine ad manus nostras fuissent deuoluta, nos terram ipsius in predicta villa Peerch existentem contulimus Chepano filio Scemere, vicino et commetaneo eiusdem decedentis, sine iuris preiudicio alieni. Vnde volumus et precipimus omnibus, quatenus nullus predictum Chepanum occasione terre predicte presumat molestare. Datum Nitrie in octauis Apostolorum Petri et Pauli.

(IV. László 1282-ki privilegiumából.)

167.

Erzsébet királyné Guna nevü szakácsát és testvéreit nemességre emeli. 1272.

